

443
E 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

SYNOPSIS QUÆSTIONUM
De
COENA DOMINI,

inter Reformatos & eos qui ſe Lutheranos vocant, hodiè controverſarum, prout proponunnuntur & tractantur in ſuo SYSTEMATE à C.V.D. CASPARO ERASMO BROCHMANNO Theologo Hafnienſi Celeberrimo;

In qua Orthodoxorum argumenta ab illius Exceptionibus vindicantur, ejusdemque in contrarium Objectiones diluuntur.

Eam autem

Adſpirante Numinis Favore

PRÆSIDE

Viro plurimum Reverendo, Celeberr. deq; Eccleſia Dei Meritiſs.

D. SAMUELE MARESIO SS. Th. Doct.

Conſummatiſſimo, ejuſdemq; Facultatis in Illuſtri Illuſtr. ac Præpot. Groningæ & Omlandię Ordinum Academia Profeſſore Primario, Eccleſiæ ibid. Gallicanæ Paſtore Ordinario facundiſſimoque, Præceptore ac Patrono ſuo, omni obſervantiæ cultu devenerando,

Publico Examini ſubjicit

MATTHIAS ELSNERUS Leſnâ-Polonus.

Ad dies *horis locoque ſolitis.*

Groningæ, Typis JOANNIS NICOLAI, Civitatis Groninganę Ordinarij Typographi, 1653.

KW 443 E 42.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

245

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

VIRIS

Reverendis admodum, Excellentiſſimis, Celeberrimisq́;

DN. FRIDERICO REICHELIO, SS. Theol. Doct. ejuſdemque Facultatis in Acad. Viadrina Profeſſ. Prim. ut & S. Linguæ Extraordinario,

DN. GOTLIEB PELARGO, SS. Theol. Doct. ejuſdemque Facultatis ibidem Profeſs. Ordinario, & Eloquentiæ Extraordinario;

DN. FRIDERICO BECMANO, SS. Th. Doct. ejuſdemq; Facultatis Extraordinario, & Logicæ Profeſs. in eadem Ordinario;

DN. GEORGIO CONRADO BERGIO, SS. Theol. Doct. ejuſdemque Facultatis Extraordinario, & Philoſoph. Moral. Profeſſ. ibidem Ordinario;

Dominis Præceptoribus ac Patronis ſuis ætatem devenerandis:

UT ET

Plurimum Reverendis, Clariſſimis, Doctiſſimiſque VIRIS

DN. MARTINO GERTICHIO, Eccleſiarum Reformat. per Maj. Polon. Superintendenti digniſſimo, & apud Leſnenſes Eccleſiaſtæ fideliſſimo;

DN. JOHANNI BYTHNERO, Cœtus Karminienſis Antiſtiti vigilantiſſimo, nec non Eccleſiarum Reformat. per Maj. Polon. Superintendenti graviſſimo;

Dominis Patronis ac Promotoribus æviternùm ſuſpiciendis:

JUXTIMQUE

Nobili, Spectatiſſimis, Prudentiſſimiſque VIRIS

DN. ANDREÆ DLUGOSCHIO, Viro Conſulari apud Leſnenſes Ampliſſimo, ac Mercatori ibid. Primario;

DN. MICHAELI ELSNERO, Civi Leſnenſi præcipuo, Parenti filialis obſervantiæ cultu proſequendo;

DN. ANDREÆ HYGELIO, Civi apud eoſdem integerrimo;

Dominis Arendariis Comitatus Leſnenſis Solertiſſimis, Fautoribus ſuis honorandis, colendis:

Has ſtudiorum ſuorum primitias in debitæ obſervantiæ ac gratitudinis Symbolum

Dedicat ac Offert

MATTHIAS ELSNERUS.

PRima & ab initio unica quæ Reformatis interceſſit Controverſia cum iis Proteſtantibus Theologis, qui ſe Lutheranos volunt appellari, pertinet ad *Cœnam Domini*, cujus originem & progreſſum, fuſé & accuratè deſcripſit Hoſpinianus *Hiſtoriæ Sacramentariæ parte 2.* Imò pleræque omnes aliæ quæ poſtea inter partes cœperunt agitari, de perſona Chriſti, unione hypoſtatica, Sacramentis in genere, (eas excipimus quæ per φιλονεικίαν cœteris fuerunt aſſutæ à degeneribus Lutheri diſcipulis, de Prædeſtinatione, gratia & libero arbitrio) ex illa priori pullularunt & ad eam reducuntur. Equidem longè præſtitiſſet manſiſſe etiam circa hoc caput de Cœna Domini intra terminos communis noſtræ Proteſtationis contra errores Pontificios: Nam convenit inter nos Communicandum ſub utraque ſpecie; Tranſſubſtantiationem nullam fieri panis in corpus Chriſti; Sacrificium Miſſæ pro vivis & mortuis eſſe commentum humanum; Panem Euchariſticum nec adorandum nec aſſervandum; Solam carnis Chriſti manducationem ſpiritualem quæ fide fit prodeſſe ad ſalutem; De illa manducatione ſpirituali, non de Sacramentali, intelligendum eſſe totum caput 6. Joh. quod operoſè probat Eckardus ipſe *Faſcic. Cont. cap. 20. q. 3.* Imò omnes Reformati poſſunt in hoc capite ſubſcribere *Articulo 10.* ipſius Confeſſionis Auguſtanæ, maximè juxta illius exemplar quod prodiit anno 1540. qui ſic ſonat; *De Cœna Domini docent quod cum pane & vino verè exhibeantur corpus & ſanguis Chriſti veſcentibus in Cœna Domini.* Verum magno Eccleſiæ malo, nec ſine plauſu Antichriſti, bellum illud Sacramentarium exarſit inter Proteſtantes, cujus finem optare facilius eſt quā ſperare, per vehementiores Ubiquitatis Brentianæ & Flaccianæ aſſertores, qui nihil moderabile vel ſpirant vel ſuadent, & actum putant de rei ſumma, niſi ab omnibus admittatur ſua *Impanatio* ac *Conſubſtantiatio* & oralis carnis Chriſti per impios manducatio, quam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Tranſſubſtantiationi Pontificiæ, quo jure quâ injuriâ, volunt ſubſtitutam, eodem modo quo ipſi Pontificij ſuos Divos Divasque Numinibus Gentilium ſubrogarunt, ut non tam relictus error quam mutatus videatur.

Nos aliquid Academico more de hac Controverſia breviter delibaturi, prememus veſtigia Clariſſimi ac Celeberimi Viri D. Doctoris *Caſparis Eraſmi Brochmanni*, Hafnienſis Theologi, qui in ſuo *Syſtemate Theologico*, Controverſias ſuorum adverſus nos in capite *de Cœna Domini* ad octo potiſſimum revocat quæſtiones, quas ipſius brevitatem imitati, paucis expendemus.

Qu. I. *An In, Cum & Sub pane, in Sacra Cœna, ſubſtantialis Corporis Chriſti præſentia per indiſtantiam loci ſit admittenda?* Ita malumus hanc formare quæſtionem, quam retinere verba ipſius Brochmanni, hac parte juſto intricatiora: Sic enim ipſe eam proponit: *An Sociniani, Swenkfeldiani, Anabaptiſtæ, Calviniani, verè ſtatuant Chriſtum ſubſtantiâ corporis & ſanguinis ſui præſentem eſſe in Cœna ſacra in his terris celebrata? Et quibus uſi argumentis, ſubſtantialem Chriſti è Cœna præſentiam proſcribant?* Nobis autem nihil volumus eſſe commune cum Socinianis & aliis Sacramentariis, qui in Sacramentis inania ſigna & merè theoretica ſibi imaginantur: Quin ipſemet Brochmannus ſolito verboſior in hac quæſtione, agnoſcit noſtros aliquam præſentiam & manducationem ſubſtantialem Chriſti in Cœna admittere, ac ſtatuere quod Chriſtus nos vacuis & inanibus non ludat figuris, ſed res ſignificatas cum ſignis offerat & exhibeat. Quare miſſis ambagibus, quæſtionem à nobis propoſitam, concludentes negativè, Argumenta noſtra contra Corporis Chriſti præſentiam localem, ſive per indiſtantiam loci, *in, cum & ſub* pane, ut ab ipſo Brochmanno proponuntur, vindicemus; atque ad illius Objectiones in contrarium reſpondeamus.

ARGUM. I. *Cœna inſtituta eſt εἰς ἀνάμνησιν: memoria autem non eſt præſentium ſed abſentium; teſte Philoſopho lib. 1. de memoria.*

Except.

Except. 1. *Iubemur meminiſſe Dei Exod: xx, 21. An inde inferemus abeſſe à nobis Deum?* R. 1. Debemus recordari *Diei Sabbathi* Exod: xx,8. ideſt inſtituti jam olim Sabbathi ad Dei cultum: & celebrare *memoriam Nominis divini* Exod: xx, 24. id eſt ejus beneficia & laudes, quorum non ſemper præſens eſt cogitatio, commemorare; Sed nuſquam toto capite citato à Brochmanno, jubemur *meminiſſe Dei.* 2. Non tam debemus meminiſſe Dei ceu præſentis, quam vel præteritorum ipſius beneficiorum, vel illius inſtitutionis quâ olim fuimus edocti illum ſemper præſentem nobis eſſe Act:xvii, 27. 3. Cœna eſt inſtituta in memoriam Chriſti, ceu corpore abſentis; ſiquidem *quotiescunque edimus panem hunc & poculum hoc bibimus, annunciamus mortem Domini* USQUE QUO *venerit* 1 Cor: xi, 26. Ita explicat Paulus quod dixerat com. 25. hoc inſtitutum à Chriſto *ad* ſui *commemorationem*: *Quemadmodum* (inquit Hieronymus, ſive inter illius opera author Commentariorum in Epiſt. Pauli, *ad 1 Cor.11.*) *ſi quis peregrè proficiſcens, aliquod pignus ei quem diligit derelinquat, ut quotieſcunque illud viderit poſſit ejus beneficia & amicitias memorari.* Etenim ut idem mox ſubjicit; *Tam diu memoriâ opus eſt, donec ipſe venire dignetur.*

Except. 2. *Paulus mandat Timotheum* μνημονεύειν Ἰησοῦν Χριστὸν *2 Tim: 11, 8. An hinc tuto concluditur Chriſtum non adfuiſſe Timotheo?* R. 1. Hîc defuit Brochmanno memoria; nam ita habet textus; *Memento Ieſum Chriſtum ſuſcitatum fuiſſe ex mortuis*: jam autem præterierat reſurrectio Chriſti & diu ante facta fuerat. 2. Debuit Timotheus meminiſſe Chriſti, ceu carne nunc abſentis Joh: xii,8. & à quo *peregrè* abſumus in hoc mundo 2 Cor:v,6.

Except. 3. *Nonne arca fœderis & nubes fuerunt memoriale Dei, non abſentis ſed præſentis?* R. 1. At Cœna eſt memoriale Chriſti ceu carne abſentis & celebrandum uſque quo venerit. 2. Loquitur hîc Brochmannus ſine Scriptura: Arcam & nubem largior fuiſſe *Symbola* præſentiæ divinæ; illius *memorialia* fuiſſe non lego. 3. Potuit eſſe arca *memoriale* triumphi acti olim à Domino de Ægyptiis; ipſius Dei, ceu præſentis, non potuit.

Except. 4. *Quando Philoſophus ait Memoriam ſeu recordationem eſſe rerum abſentium, intelligendum id propriè eſt de rebus ſenſibiliter*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

præſentibus, quarum propriè non eſt ἀνάμνησις. R. 1. Corpus Chriſti nequit eſſe indiſtanter præſens in Cœna, quin ſit *ſenſibiliter* præſens, cùm ſit ſenſibile & palpabile Luc: XXIV, 39. Ei *profectò immortalitatem dedit, naturam non abſtulit*, inquit Auguſtinus *Ep. 57.* Eorum quæ præſentia ſunt, quomodocunque præſentia ſint, eſt cogitatio ſive *imaginatio* juxta Ariſtotelem, non recordatio, quæ eſt tantum præteritorum & abſentium. 3. Datur quoque recordatio rerum non ſenſibilium, ut ad reminiſcentiam nihil faciat ſenſibilitas objecti, ſed tantum illius vel præteritio ratione temporis, vel abſentia ratione loci.

Except. 5. *Si verum eſſet excludi è Cœna Sacra Subſtantialem præſentiam Corporis Chriſti, quia Cœna illa Sacra inſtituta eſt εἰς ἀνάμνησιν Chriſti, inferendum utique eſſet, nequidem præſentem, fuiſſe Chriſtum in prima Cœna, cum tamen teſtentur omnes Euangeliſtæ adfuiſſe ipſum diſcipulis.* R. 1. Acceperunt Apoſtoli in prima Cœna inſtitutionem ejus Sacramenti quod deinceps eſſet celebrandum in commemorationem Chriſti, ſed ipſa prima Cœna non fuit Apoſtolis ipſius commemoratio, ut nec *paſſionis* ſuæ, quæ adhuc erat in fieri. 2. Nequidem juxta Brochmannum potuit iſthîc eſſe Chriſti ἀνάμνησις, quæ uti antea dicebat, nequit eſſe rerum *ſenſibiliter* præſentium; Chriſtus vero ibi *ſenſibiliter* præſens erat.

Except. 6. *Cœna commemoratio Chriſti eſt, non tam ſubſtantiæ quam paſſionis reſpectu, quæ cum præterierit, ejus jure juſto cenſetur eſſe ἀνάμνησις 1 Cor. XI, 26.* R. 1. Chriſtus vult id fieri in commemorationem ſui. 2. Opponuntur à Brochmanno quæ ſunt conjungenda: nam fit in Cœna commemoratio *paſſionis* Chriſti, ut quæ tempore præterierit; ſed *ipſiusmet*, donec veniat, utpote qui loco & corpore abſit. 3. Hîc Brochmannus tacitè agnoſcit vim noſtri argumenti, & quod commemoratio repugnet præſentiæ vel temporali, vel locali; cum ſit præteritorum & abſentium.

ARG. II. *Si illud ipſum corpus, quod pro nobis traditum eſt ederetur ſubſtantialiter in Cœna, viſibile & palpabile corpus in ſacra Cœna ederetur; tale enim pro nobis traditum eſt; & tale aſſidebat menſæ in prima Cœna; idem vero debemus edere quod diſcipulis ad edendum exhi-*

bitum

bitum fuit. Ita quidem Brochmannus proponit per partes hoc argumentum; ſed potius ſic debuiſſet concipi: Corpus Chriſti viſibile & palpabile non eſt indiſtanter præſens *in*, *cum & ſub* pane, ut oraliter manducetur: Sed corpus Chriſti de quo dicebat ſuis diſcipulis *Hoc eſt corpus meum*, & quod à nobis ut ab ipſis venit manducandum, eſt corpus viſibile & palpabile: Tale enim pro nobis traditum eſt, & tale aſſidebat menſæ in prima cœna. Ergo corpus Chriſti, de quo dicebat ſuis diſcipulis *Hoc eſt corpus meum*, & quod à nobis ut ab ipſis venit manducandum, non eſt indiſtanter præſens, *in*, *cum*, *& ſub* pane, ut oraliter manducetur.

Except. 1. *Si Chriſtus in prima illa Cœna verè dicere potuit ſuis Diſcipulis*, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, *non obſtante corporis viſibilitate & palpabilitate, quidni etiam hodie in Sacratiſſimo hocce epulo ſubſtantiale corpus Chriſti edere cenſendi ſumus, ut-ut corpus quod editur, nec videatur nec tangi poſſit?* R. 1. Non negamus *ſubſtantiale corpus Chriſti* edi à fidelibus in Sacra Cœna, ſed tantum rejicimus localem & indiſtantem ejus præſentiam *in*, *cum & ſub* pane. 2. Concedimus illud edi corpus quod nec videtur nec tangitur à veſcentibus, quia manducatio hæc non eſt oralis & phyſica, ſed myſtica & moralis. 3. Non dedit Chriſtus diſcipulis ſuum corpus quod viſibile & palpabile erat in menſa, oraliter ab ipſis deglutiendum & trajiciendum in ſtomachum; ſed dedit illis oraliter manducandum panem cui benedixerat & quem fregerat, ceu Sacramentum & Symbolum illius ſui corporis, quod viſibile & palpabile aſſidebat menſæ, & mox tale erat paſſioni ſubjiciendum pro nobis; juxta illud Tertulliani *lib.4. contra Marc. Acceptum panem & diſtributum diſcipulis, corpus ſuum illud fecit, hoc eſt corpus meum dicendo, ideſt figura corporis mei.* 4. Hæc exceptio nullam partem infringit noſtri argumenti, nec ſcopum ferit; cum lis non ſit inter nos de veritate verborum Chriſti, ſed de eorum ſenſu & ſignificatione: Non obſtat palpabilitas & viſibilitas corporis Chriſti veritati verborum ſuorum, vel myſticæ & morali manducationi corporis ſui, ſed tantum ejus comeſtioni orali ac phyſicæ, & indiſtanti localique præſentiæ, *in*, *cum & ſub* pane.

 Except.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Except. 2. *Hæc objectio quæ videtur eſſe valdè ſpecioſa ſolvitur diſtinctione diverſorum præſentiæ modorum; Etenim alia eſt humanæ naturæ Chriſti præſentia phyſica ſeu naturalis, alia quâ λόγῳ adeſt, alia quâ piis gratioſè adeſt, alia quâ omnibus rebus poſt aſcenſionem in cœlo potenter dominatur, alia quâ beatis apparet in cœleſti gaudio, alia denique quâ corpus ſuum & ſanguinem ſuum in Sacramento Cœnæ præbet edendum & bibendum. Liquet hinc quam ſibi non conſtet argumentum: nam præſentiæ Chriſti naturalis, opponitur præſentia Chriſti Sacramentali, quod quid aliquid eſt quam veritatem humanæ naturæ Chriſti opponere ſacræ Cœnæ inſtitutioni, atq; ita verbum divinum cum verbo divino blaſphemè committere?* R. 1. Non opponimus veritatem humanæ naturæ Chriſti inſtitutioni Sacræ Cœnæ, ſed adverſariorum figmento. 2. Jure merito opponitur Sacramentalis Chriſti præſentia, quæ eſt duntaxat Symbolica & ſignificativa, præſentiæ Chriſti naturali, quæ eſt localis & phyſica. 3. Abſurdè fingitur naturæ humanæ Chriſti præſentia ſubſtantialis per indiſtantiam loci, quæ phyſica & naturalis non ſit; cùm indiſtanter nequeat eſſe præſens ullum corpus naturâ ſuâ viſibile, palpabile & extenſum ſive circumſcriptum, quin ſpatium ſibi debitum circumſcriptivè occupet, & ibi videri ac palpari poſſit. Huc facit illud Auguſtini *epiſt. 57. Tolle corporibus ſpacia locorum, nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt nec erunt:* 4. In multiplici hac diſtributione præſentiæ carnis Chriſti, multa poſſunt enotari. Sanè in Concilio Epheſino 1. unio intima carnis Chriſti cum λόγῳ naturalis ſtatuitur; oppoſitè ad errorem Neſtorij, qui eam κατὰ παράστασιν, vel σχέσιν, vel ταυτοβουλίαν, factam eſſe ſtatuebat: Nec ſi ea ſemper præſens eſt λόγῳ ideo debet eſſe ubiq; cùm nemo noſtrum ideo ſit ubiq;, quod ſemper præſens ſit Deo, in quo ſumus vivimus & movemur Act: XVII, 27. Natura Chriſti humana non adeſt piis indiſtanter; ſed tam procul diſtat ab illis quam cœlum à cœno. Nec ea omnibus rebus *dominatur*, ſed totus Chriſtus, cùm dominatio non ſit naturæ, ſed perſonæ; nec dominari omnibus rebus in ſuo conceptu modum ſonat præſentiæ, ſed juris & potentię: Humanę verò Chriſti naturę præſentia qua conſpicitur in cœlo, non debet diſtingui à phyſica & naturali, cum iſthîc, ſi uſpiam nunc, ſit naturaliter &

Phyſicè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

phyſicè: Nec benè poteſt præſentia Sacramentalis opponi naturali, vel ab ea diſtingui, quin illa negetur ſubſtantialis & indiſtans: cùm ſubſtantia humanę naturę nequeat eſſe indiſtanter huic loco præſens, quin circumſcriptivè & ſpatium ſuum occupando præſens ſit; eſt enim hic modus unicus præſentiæ veræ indiſtantis & propriè ſic dictę cujusque naturæ corporeę.

Except. 3. *Subſtantialis corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna præſentia affirmatur à nobis propter veritatem & potentiam Chriſti Sacramentum inſtituentis: Eadem vero negatur* à Calvinianis *propter viſibilitatem, palpabilitatem, finitam quantitatem veri corporis Chriſti: Quæritur jam utri major habenda fides, num Chriſto veraci & omnipotenti, qui dicit,* Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum; *an humanæ menti prætendenti fieri non poſſe, ut edatur in Cœna ſacra ſubſtantiale Chriſti corpus idq; ob qualitates naturales corporis;* R. 1. Non dubitamus de veritate & potentia Chriſti; ſed illi affingunt gratis adverſarij quod corpus ſuum velit indiſtanter præſens ſiſtere *in, cum & ſub* pane, ut oraliter ab omnibus dignis & indignis deglutiatur. 2. Cum hæ ſint *veri corporis Chriſti qualitates naturales*, illi indivulſé ſemper & ubique debent adhærere: Nam tam impoſſibile eſt verum & ſubſtantiale Chriſti corpus, naturales ſuas qualitates non retinere, quam ſimul eſſe & non eſſe verum corpus; juxta illud Auguſtini *ep. 57. Tolle ipſa corpora qualitatibus corporum, non erit ubi ſint, & ideo neceſſe eſt ut non ſint.* Debet itaque modus ubicationis & præſentiæ, reſpondere conditioni & naturæ ubicati & præſentis: Quare ut ſpiritus nuſquam poteſt eſſe circumſcriptivè & extenſé, ac modo corporeo; ita nullum corpus uſpiam poteſt eſſe, præſentiâ indiſtanti & reali, inextenſé & definitivè tantum ad inſtar ſpirituum. Quod ſi Chriſti corpus in cœna deponit ſuas *qualitates naturales*, quas retinet in cœlo, planè differet à ſe ipſo, ac ſimul erit & non erit viſibile, palpabile & finitum.

ARGUM. III. *Si corpus Chriſti ederetur ore & ſanguis Chriſti biberetur ore, novum quoque Teſtamentum biberetur ore, nam de poculo dicitur, Poculum eſt Novum Teſtamentum.*

Except.

Except. 1. *Iſtis concepta eſt oratio D. Lucæ verbis, ut ſubſtantialem ſanguinis Chriſti præſentiam, & quidem cum poculo arctiſſimè junctam, clariſſimè & efficaciſſimè adſtruat. Nam poculum quod in ſacra Cœna bibitur & eſt poculum in ſanguine Chriſti, & eſt poculum pro nobis effuſum. Nihil autem certius eſt quàm poculum nec ratione materiæ, nec ratione formæ, nec ratione vini contenti, ſed ſolius ſanguinis reſpectu memorari à Luca effuſum pro nobis.* R. 1. Ut nihil eſt præſidij pro cauſa Adverſariorum in verbis Luc: xx, 20. ſic non ſolvitur noſtrum argumentum hac exceptione. 2. Nuſpiam dicitur *poculum in ſanguine Chriſti:* cum è contrario ſanguis Chriſti ſit in poculo, ſignificativè, ſymbolicè, & ſacramentaliter. 3. Nec dicit Lucas *poculum pro nobis effuſum*, ſed dicit poculum eſſe Novum Teſtamentum, in ſanguine Chriſti, qui ſanguis pro nobis effuſus eſt; ita ut illa effuſio non ſit poculi, ſed ſanguinis; ſive τὸ ἐκχυνόμενον dicatur pro τῷ ἐκχυνομένῳ, per enallagem caſus, cujuſmodi exempla proſtant Luc: v, 9. xi, 53. Apoc: i, 4. viii, 9. ſive ſit Hebraiſmus in quo τὸ, pro ὅ, vel ὅπερ veniat: In ejuſmodi autem non tam Solœciſmus eſt quam Solœcophanes. Aliàs effuſionem hanc referri ad ſanguinem, ipſa V. V. inſinuat quæ habet *fundetur* in futuro; comprobant Marcus & Matthæus qui habent, τοῦτο ἐστι τὸ αἷμα μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον; Interpretes plerique omnes etiam Pontificij agnoſcunt; & ipſe Brochmannus fatetur, qui hanc effuſionem ſtatuit *ſolius ſanguinis reſpectu* intelligendam. 4. Non poſſet vel poculum, vel vinum *ſanguinis Chriſti reſpectu effuſum* dici pro nobis, niſi tropicè & figuratè, quod poculum contineat vinum ſanguinem Chriſti ſignificans; maximè cùm nulla ſanguinis Chriſti effuſio fiat in Cœna, ſed tantum commemoratio illius, ut agnoſcunt non ſolum Lutherani ſed etiam Pontificij, qui tamen hoc eodem argumento utuntur ad ſuum Sacrificium Miſſaticum adſtruendum.

Except. 2. *Matthæus cap. xxvi, 28. ita enunciat alteram Cœnæ ſacræ partem*, Hic eſt ſanguis meus Novi Teſtementi qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum; *Unde autem quæſo certius interpretari licet Lucam & Paulum quam è Matthæo; ita ut Matthæus & Marcus expreſſerint quid Chriſtus in ſacra illa Cœna dederit in cibum*

&

& potum, *videlicet præter panem & vinum corpus & ſanguinem ſuum*, *Lucas verò & Paulus unà indicarint*, *in quem finem illa dederit*, *nempe ad ſanciendum Novum Teſtamentum.* R. 1. Non ſic ſoluitur argumentum noſtrum: Quæritur enim num κτ̀ τὸ ῥητὸν bibatur ore Novum Teſtamentum, & an hic tropus nullus ſit agnoſcendus? 2. Si Lucas ex Matthæo & Marco venit intelligendus circa hanc phraſim, cur non etiam circa illud τὸ ἐκχυνόμενον, ut referatur ad ſanguinem non ad calicem? 3. Chriſtus voluit edi & bibi panem & vinum ceu Sacramentum corporis & ſanguinis ſui, quo ſanguine Novum Teſtamentum ſancitur; ſed nec Euchariſtia ſanctio eſt Novi Teſtamenti, nec Chriſtus dat in cibum & potum oralem, quomodo editur panis & bibitur vinum in Sacra Cœna, corpus & ſanguinem ſuum, ſed tantum in cibum & potum moralem, qui mente non dente & ore percipitur, juxta illud Auguſtini, *Vt quid paras dentes & ventrem? Crede & manducaſti.* 4. Nec Matthæus nec Euangeliſtarum ullus habet *fundetur* in futuro, ſed *funditur* in præſenti, quò magis conſtet eodem modo & ſenſu poculum eſſe ſanguinem Chriſti in ſacra Cœna, & ſanguinem illum hauriri è poculo, quo ſanguis ille in ſacra Cœna funditur pro nobis: Id autem non fit realiter, ſed tantum ſignificativè & commemorativè.

ARG. IV. *Si ſanguis Chriſti ore bibendus eſt*, *utiq; erit in poculo*: *Sanguinem autem non eſſe in poculo*, *ſed viceverſa*, *teſtantur hæc Inſtitutionis verba*, *Hoc poculum Novum teſtamentum eſt in meo ſanguine.* Hoc argumento nolim uti niſi ad hominem; quia *Except. 1. ad ſup. arg.* dicebat Brochmannus, *poculum quod in ſacra Cœna bibitur eſſe poculum in ſanguine Chriſti.*

Except. *Non dicit Euangeliſta Lucas XXII, 20. poculum eſſe in ſanguine*, *ſed eſſe Novum Teſtamentum in ſanguine*, *ideſt poculum non ratione materiæ*, *nec ratione formæ*, *nec ratione vini contenti*, *ſed ſanguinis ratione & reſpectu Novum Teſtamentum eſſe.* R. 1. Hic negat Brochmannus quod priùs affirmabat. 2. Eodem modo & ſenſu poculum, ſive vinum quod in eo, eſt ſanguis Chriſti, quo ſenſu eſt No-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

vum Teſtamentum in hoc ſanguine: Id autem non poteſt ſtatui κατὰ τὸ ῥητὸν: cum Teſtamentum nec de vino, nec de poculo, nec de ſanguine propriè & ſubſtantivè poſſit affirmari. 3. Nequit poculum dici Novum Teſtamentum *ſanguinis ratione & reſpectu*, cùm nec ipſe ſanguis ſit Teſtamentum novum; ſed tantum ſit ſanguis Novi Teſtamenti, ut Matthæus & Marcus habent. 4. Non alio ſenſu dicitur poculum Novum Teſtamentnm in ſanguine Chriſti, quam ideo quod ſit Novi Teſtamenti in ſanguine Chriſti ſanciti ſigillum & Sacramentum.

ARG. V. *Id comeditur in Cœna quod Chriſtus in manus ſuas ſumpſit; Chriſtus autem in manus ſuas ſumpſit non corpus ſuum, ſed panem.*

Except. *Falſum eſt pronomine τοῦτο nihil niſi merum panem & purum vinum deſignari.* R. 1. Pronomine τοῦτο non poſſunt deſignari duo toto genere diverſiſſima, panis & corpus, & quæ in unum compoſitum & ὑφιςάμενον non coaleſcunt. 2. Si pronomen *Hoc* præter panem deſignat etiam corpus Chriſti, tum hic erit ſenſus Chriſti, Hic panis & hoc corpus meum eſt corpus meum. 3. Cùm Chriſtus nihil præter panem ſumpſerit in ſuas manus, aut debuit ſubſtantivè mutari poſtea in manibus Chriſti, quod nolunt Pontificiis concedere Lutherani; aut debuit ſolus intelligi illo pronomine ſubſtantivo τοῦτο. 4. Ipſi Lutherani contra Pontificios pertendunt hoc pronomine panem ipſum deſignari. Nec etiam Chriſtus præter panem aliud fregit aut dedit accipiendum manibus & premendum dentibus ſuorum; licet ex hoc pane fecerit Symbolum & Sacramentum Corporis ſui.

ARG. VI. *Chriſtus in prima Cœna viſibiliter aſſidebat menſæ, & ſanguis extra vaſa ſua nondum erat effuſus; quare cum pane & vino inviſibiliter & ſeparatim dari non potuerunt in prima illa Cœna corpus & ſanguis Chriſti:* Adde nec hodie, cum nec ſanguis ejus amplius effundatur, nec corpus & ſanguis ſeparatim exiſtant; & tamen in ſacra Cœna nobis proponitur Chriſti corpus ut fractum morte, & ſanguis illius ut effuſus in cruce, cujuſmodi nunc nec comedi nec bibi poteſt.

Except. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Exerc. 1. *Diverſos præſentiæ Chriſti modos hîc oportet diſtinguere.* R. 1. De illis jam dictum eſt. 2. Abſurdè fingas Chriſti corpus præſens viſibiliter fuiſſe in menſa, & inviſibiliter ac inextenſè & citra partium diſtinctionem in ore diſcipulorum ſingulorum. 3. Quod nondum eſt vel non amplius eſt, nullo modo præſens eſſe poteſt reali præſentiâ & per indiſtantiam loci. Sed Chriſti corpus nondum erat fractum, nec ſanguis illius fuſus in prima Cœna; jam vero nec illud frangitur, nec iſte funditur. Qui ergo concipias corporis fracti & ſanguinis fuſi, ullam talem præſentiam, vel in prima Cœna vel in hodierna.

Except. 2. *Chriſtus cum humana ſua natura & per humanam ſuam naturam agit, non tantum ſecundum naturales & eſſentiales ſuas proprietates, verum etiam quando & quomodo vult ſecundum* ὑπερφυσικὰς *illas prærogativas quæ humanitati ipſius ex hypoſtatica cum divina unione acceſſerunt.* R. 1. Nulla prærogativa acceſſit carni Chriſti per unionem hypoſtaticam quæ deleat vel auferat ejus naturales & eſſentiales proprietates: quarum deletio naturæ negatio foret, juxta Theodoretum. 2. Quę huc inſuper congeſſit Brochmannus, quod Chriſtus ſanguine ſuo redimat, juſtificet, emundet peccata, quod vibicibus ſuis ſanet, quod caro ejus vivificet, quod corporis ſui contactu morbos abigat, quod aquis inambulet, per clauſas januas ingrediatur, ἄφαντος fiat, ſtatu corporali Spiritum Sanctum conferat, partim ſunt falſa, partim aliena: Non intravit per clauſas januas, ſed poſtquam clauſæ fuiſſent, nec ſine miraculo, ingreſſus eſt ad diſcipulos: Non factus fuit ἄφαντος ablatâ ſuo corpori viſibilitate, ſed ejus præſentiâ celerrimè ſubductâ duorum Emaunticorum oculis: Caro ejus non vivificat, ſed Spiritus, teſte ipſomet Chriſto Joh: v1, 6. licet per carnem. Virtus morborum depultrix non inerat ſubjectivè ipſius corpori aut veſtium fimbriæ, ſed ejus perſonæ; Nec à corpore manabat Spiritus Sanctus, quem ſe conferre corporeâ actione ſignificabat: Manebat corpori ipſius & Petri, ſua naturalis gravitas in aqua, etſi de facto neutrum gravitaret: Quod ejus vibicibus & ſanguine ſanemur, redimamur, juſtificemur, purgemur, nihil deterit de eſſentialibus & naturalibus humanitatis ſuæ pro-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

prietatibus, quæ in ſua paſſione ſalvæ manſerunt & ſatis apparuerunt. Sed his immorari præter noſtrum inſtitutum & ſcopum foret.

Except. 3. *Opponimus verba Inſtitutionis*, Edite, nam eſt corpus meum; Bibite, nam eſt ſanguis meus; *certi non eſſe impoſſibile apud Deum verbum ullum.* R. 1. Non eſt quæſtio de Potentia Dei, ſed de inſtitutione Chriſti. 2. Panem dici corpus & vinum ſanguinem ejus, novimus; ſed adverſariorum ſenſu negamus; & jure, cum illi tot repugnent argumenta.

ARGUM. VII. *Impugnatur ſententia adverſa, tum proprietate veri corporis, quod exteriori loco cingitur*, ſive quod certo ſpacio ſibi commenſurato circumſcribitur, *quod videtur & ἁπτὸν eſt, quod denique non poteſt eſſe ſimul & ſemel pluribus in locis; tum aſcenſione Chriſti in cœlos & ex hoc mundo egreſſu; tum reditu Chriſti ad judicium.*

Except. 1. *Non eſt eſſentialis & plane inſeparabilis proprietas corporis Chriſti exteriori loco cingi & circumſcribi.* R. 1. Quod convenit omni humano corpori, debet etiam convenire corpori Chriſti. 2. Auguſtinus *tract. 30. in Ioh.* diſertè aſſerit quod *corpus in quo reſurrexit uno loco eſſe oportet.* 3. Licet exteriore loco Ariſtotelico, ideſt ſuperficie corporis ambientis primâ, cingi non debeat omne corpus, certum tamen debet occupare ſpatium ſibi coextenſum & adæquatum. 4. Quæ in contrarium adferuntur à Brochmanno *cap. 4. q. 6. de Chriſto θεανθ.* quò nos remittit, nullius ſunt valoris: Nam etſi *nullum detur corpus quod cœlum contineat*, occupat tamen cœlum ſpatium ſibi debitum, in quo partes habet extra partes. Humanitas Chriſti per unionem hypoſtaticam, falſo dicitur *evecta ſupra quemvis locum*; nam erat unita λόγῳ in his terris, in quibus tamen ſic uni tantum loco præſens erat, ut abeſſet ab omni alio Joh: XI, 11. 15. 21. Matt: XXVIII, 6. Sedere vero ad dextram Dei, regnare eſt, quod pertinet ad totius perſonæ Chriſti dignitatem, non ad ſitum vel ubietatem naturę humanę, quę quò altiùs ſupra omnes cœlos evecta eſt, eò longiùs abeſt à terra.

Except. 2. *Non eſt eſſentialis Chriſti proprietas ἁπτὸν eſſe atq; contrectari*

trectari & tangi, atq; ex juſta diſtantia conſpici. R. 1. Hac tamen proprietate ſe eſſe, nec ſpiritum vel phantaſma, demonſtrabat Chriſtus etiam poſt ſuam reſurrectionem Luc: XXIV, 39. 2. Fruſtrà recurrit Brochmannus *cap. 4. de θεανθ. q. 8.* quò nos remittit, ad conditionem corporum glorificatorum; ſiquidem corpus Chriſti nondum erat glorificatum cum primam Cœnam inſtituit; nec ſuum corpus nobis proponit in Cœna ceu glorificatum, ſed tanquam fractum doloribus & morte pro nobis. 3. Corpora poſt reſurrectionem erunt πνευματικά, non ſubſtantiâ, ut vellent Socinciani, ſed conditione, quod non tam ab anima ad functiones animales, quam à Dei Spiritu ad ipſius gloriam, pleniſſimè regentur & dirigentur. 4. Quomodo Chriſtus factus fuerit ἄφαντος Luc: XXIV, 31. ſuprà diximus: Conſpicuus factus eſt ſubinde ſuis diſcipulis, ſe præſentem illis ſiſtendo, non ſe viſibilem & conſpicuum ex inviſibili aut viceverſâ faciendo.

Except. 3. *Chriſtus homo eſt ubique.* R. 1. Chriſtus qui homo eſt, ubiq; eſt, ſed non quà homo, ſive humanitatis reſpectu: Ubique enim eſſe eſt ſolius naturæ divinæ; cujuſmodi non eſt corpus Chriſti. 2. Si propter Ubiquitatem carnis Chriſti, ejus corpus eſt indiſtanter præſens in Cœna, non minus erit in *pane tabernæ piſtoriæ*, imò, ut quondam fertur docuiſſe Lutherus apud Hoſpinianum *Hiſt. Sac. p. 2. fol. 64. in ſole & in fune ſeu laqueo quo ſe Iudas ſuſpendit*, quam *in pane cœnæ*. 3. Hoc dogma Ubiquitatis, novum eſt, inſolens, rejectum à ſanioribus Lutheranis; & benè dictum ab Auguſtino *tract. 50. in Ioh. Secundum præſentiam Majeſtatis ſemper habemus Chriſtum; ſecundum præſentiam carnis rectè dictum eſt, Me non ſemper habebitis.* Verùm hoc Ubiquitatis monſtrum aliàs ex profeſſo ſpeciali Diſputatione contra Brochmannum & Eckardum profligavimus.

Except. 4. *Adſcenſio Chriſti in cœlum, non aufert nobis naturæ ſuæ humanæ præſentiam in terris, quam adſtruit Seſſio illius ad dextram Dei.* R. 1. Nec πανταχουσία carnis ex Seſſione Chriſti ad dextram Dei rectè colligitur, neque ſimpliciter ex hac contra illam volumus pugnare. 2. Ut Chriſtus aſcendendo in cœlum eò ſuum intulit corpus ubi antea non erat, ita deſeruit terram ubi priùs erat. 3. Nobis hîc militant omnia loca Scripturæ quę de Chriſti abitu

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

& diſceſſu ex hoc mundo,ejuſque abſentia à nobis loquuntur, Joh: xiv,2. xvi,28. Matt:xxvi,11. Heb:viii,4. Phil: 11,20, 2 Cor:v, 6. Phil:1,23. Matt:xxiv, 23. 25. 4. Vigilius *contra Eutych. lib.4.* ſic loquitur; *Quando in terra fuit non erat utiq; in cœlo, & nunc quia in cœlo eſt non eſt utique in terra.* Et Auguſtinus *epiſt.57. Noli dubitare ibi nunc eſſe hominem Chriſtum Ieſum unde venturus eſt, memoriterque recole & fideliter tene Chriſtianorum confeſſionem, quoniam reſurrexit à mortuis, aſcendit in cœlum, ſedet ad dextram Patris, nec aliunde quam inde venturus eſt ad vivos mortuoſque judicandos, & ſic venturus eſt, illâ Angelicâ voce teſtante quemadmodum ire viſus eſt in cœlum; ideſt in eadem carnis forma atque ſubſtantia, cui profecto immortalitatem dedit, naturam non abſtulit; Secundum hanc formam non eſt putandus ubique diffuſus; Cavendum eſt enim ne ita divinitatem adſtruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus.*

Except.5. *Vt reditus Chriſti ad judicium & quidem viſibilis certò creditur quia promiſſus eſt Act:1,11. ita non minore certitudine admitti debet ſubſtantialis Chriſti in ſacra Cœna præſentia, idque ob hæc verba Cœnæ Sacræ,* Edite; Hoc eſt corpus meum; Bibite, hic eſt ſanguis meus. R.1. Non moramur hunc coccyſmum, cùm hæc Chriſti verba nihil minus contineant quam quod ſentiunt adverſarij. 2. Si Chriſtus debet prodire è cœlo rediturus ad judicium univerſi, deberet pariliter cœlum deſerere quoties ſacra Synaxis celebratur, ut illic ſuum corpus præſens ſiſtat præſentiâ indiſtanti & locali.

ARGUM. VIII. *Corporalis carnis manducatio improbatur ab ipſo Chriſto Ioh.vi,63.*

Except.1. *Iohannis 6. non agitur de Sacramentali corporis Chriſti manducatione.* R.1. Eo minus ergo oralis manducatio carnis Chriſti venit urgenda. 2. Etſi hoc capite non agat Chriſtus de Sacramento Euchariſtię, agit tamen de ea carnis ſui manducatione, ſpirituaſi, ſalutari, neceſſaria, ad quam obſignandam, ſignificandam, promovendam, hoc Sacramentum inſtitutum eſt: Unde colligitur manducationem carnis Chriſti, cui hoc Sacramentum

deſti-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

deſtinatur, non oralem eſſe, ſed ſpiritualem, quæ mente fiat non dente.

Except. 2. *Fruſtra urgentur hæc Chriſti verba Ioh. VI, 63. Caro non prodeſt quicquam, Spiritus eſt qui vivificat. Quomodo enim non prodeſſet illa caro, quâ ad vitam æternam paſcimur? Ioh: VI, 56. 57. & ſeq. Quando igitur Chriſtus ait carnem non prodeſſe quicquam, intelligit puri puti hominis carnem, quæ naturaliter comeſta, quod ſomniabant de carne Chriſti Capernaitæ, non prodeſt quicquam ad vitam & ſalutem. At vero puri puti hominis carnem & ejus naturalem comeſtionem conferre cum carne filij Dei, atq; ejus ſpirituali comeſtione, putidiſſima collatio eſt.* R. 1. Chriſtus eo loci agit de ſua carne, non de carne alterius alicujus de qua ſermo ipſi non fuerat. 2. Negat carnem ſuam prodeſſe, non abſolutè, ſed ſecundum quid, quia oralis illius manducatio, qualem ſomniabant Capernaitæ non prodeſſet quicquam, nec ea introducta in carnem noſtram nutriret; ſed nutrit & vivificat applicata mentibus noſtris per Spiritum ſuum, à quo omnem vim vivificam & nutritivam habet. 3. *Spiritualis* ejus comeſtio non fit ore ſed fide; *Qui credit in eum manducat eum:* & cum illi opponatur naturalis quæ ore fieret, hanc ergo non prodeſſe quicquam, adeoque ad illam Sacramentum Euchariſtiæ inſtitutum non fuiſſe, debet eſſe certiſſimum: eo magis quod cùm carnis Chriſti comeſtio oralis *in cum & ſub* pane, quam propugnant adverſarij, Spiritualis non ſit, ut pote communis etiam impiis, vel ideo, juxta hanc Brochmanni oppoſitionem, naturalis, eoque inutilis, ſtatui debet.

ARG. IX. *Corporalis præſentia Chriſti in terris poſt ejuſdem aſcenſionem in cœlos rejicitur à Chriſto Matt:XXIV, 23. XXVI, 11. Ioh:XVI, 28. XVII, 11.*

Except. 1. *Certum eſt quod Chriſtus quando in prima cœna diſcipulis dicebat* Accipite &c. *nondum reliquerat mundum, ut patet ex Ioh:XIII, 13. quinimo tum aſſidebat viſibili forma ſuis diſcipulis; Quocirca nondum impletum illud erat,* Me non ſemper habebitis vobiſcum. *Dicta itaque objecta non tollunt ſubſtantialem Chriſti è cœna ſacra, ſaltem prima,*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

prima, præſentiam. At Paulus 1 Cor:x,16. & 1 Cor:xi,23. & ſeq. clarè docet dari idem nobis hodie in ſacra coena quod Diſcipulis in prima coena diſtributum fuit. R. 1. Si eodem modo ſit Chriſti corpus præſens in Cœna hodierna, quo adfuit in prima, præſens debebit eſſe viſibiliter & circumſcriptivè. 2. Argumentum noſtrum non eò ſpectat ut probetur Chriſtum non fuiſſe corpore præſentem in prima Cœna, ſed ut demonſtretur eum nobis corporis ſui præſentiam per ſuam adſcenſionem in cœlos ſubduxiſſe. 3. Idem nobis in ſacra Cœna dari quod diſtributum fuit diſcipulis in prima Cœna eſt certum: Sed cum nec Chriſtus in prima Cœna ſuum ipſius corpus vel ſuis manibus fregerit, vel oraliter comederit, nec Diſcipuli illud Chriſti corpus deglutierint ore quod viſibile, palpabile & circumſcriptum menſæ aſſidebat, non eſt cur oralem carnis Chriſti comeſtionem in Cœna ſomniemus.

Except. 2. *Chriſtus non dicitur reliquiſſe mundum quod amplius non ſit in mundo; Repugnat enim promiſſio, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſq; ad conſummationem ſæculi Matt: xxviii, 20. Verùm Chriſtus ideo memoratur relinquere mundum, quia depoſitis infirmitatibus, & exaltatus ad ſummam gloriam & ampliſſimum imperium, adſcenſione in coelos & ſeſſione in dextera Dei, amplius non ſit nobiſcum viſibili formâ converſaturus: Nam quia ſic exivit à Patre & aſſumptâ humanâ naturâ venit in hunc mundum ut Patrem non reliquerit, aut Pater non ſit in hoc mundo, ſed quod ſeipſum exinanivit, & in ſimilitudine hominum factus, habitu repertus eſt ut homo, omnibus humanis infirmitatibus peccato excepto ſubjectus; ita reliquit mundum & abiit ad Patrem, quod conſummato per paſſionem redemptionis opere, depoſuerit omnes infirmitates, & intraverit ad gloriam quam habuit apud Patrem priuſquam mundus eſſet.* R. 1. Chriſtus ſemper præſens eſt nobis, ſuâ & Divinitate & Gratiâ, abeſt vero à nobis carne & corpore; ut non malè dixerit Leo *ſerm. 2. de Aſc. Ineffabili modo per aſcenſionem coepit eſſe divinitate propinquior, qui factus eſt humanitate longinquior.* Et Auguſtinus *tract. 78. in Ioh. A quibus homo abſcedebat, Deus non recedebat, & idem ipſe Chriſtus homo & Deus. Ergo & ibat per id quod homo erat, & manebat per id quod Deus erat: Ibat per id quod uno loco erat, manebat per id quod ubique erat.* 2. Si depoſitio infirmitatum carnis, ſit Chriſti diſceſſus ex mundo,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

mundo, debet ejus reſurrectio ex mortuis, non verò aſcenſio quæ 40. poſt dies ſequuta eſt, ejus fuiſſe abitio, quia in ſua reſurrectione & per illam omnes noſtras infirmitates plenè depoſuit. 3. Quod ſi ejuſdem omninò ordinis ſit illius reditus in cœlum cum primo adventu è cœlo, debuit redeundo ad Patrem depoſuiſſe non tantum infirmitates carnis, ſed ipſam illius ſubſtantiam; quandoquidem exeundo à Patre & veniendo in mundum, non infirmitates modò carnis, ſed ipſam carnis humanæ ſubſtantiam aſſumpſit. 4. Non venit in mundum per deſcenſum viſibilem & localem, ſed diſceſſit ex mundo per localem & viſibilem aſcenſionem. 5. Diſceſſioni illius, opponitur reditus ad judicium Joh:XVI,16. qui futurus eſt ſubſtantialis, localis & viſibilis quoad naturam humanam in qua apparebit: Ergo talis fuit humanæ naturæ reſpectu ejus abitus per aſcenſionem in cœlos. 6. Non abſtulit nobis Chriſtus ſimpliciter corporis ſui viſibilitatem per diſparitionem, ſed præſentiam illius, per aſcenſionem localem & viſibilem 2 Cor:V,16. Nec dicit tantum ſe non amplius viſum iri à nobis ut Joh:XIV,19. XVI,16. ſed revera ſe non amplius futurum nobiſcum Matt: XXVI, 11. 12. eo quod relinquat mundum Joh: XVI, 28. Ita ut fides nulla debeatur iis qui dixerint, Ecce hîc Chriſtus eſt, aut illîc, in deſerto, in *ταμείοις*, in penetralibus & ciboriis, *in*, *cum & ſub* pane aut ſpeciebus panis Matt: XXIV, 23. 26.

ARG. X. *Chriſtus non ſub elementis panis* Col: *II*, 8. *nec habitu corporali & carnali in his terris* 2 Cor:*V*,16. *Heb:VIII*,4. *ſed in cœlis quærendus eſt* Col:*III*,1.

Except. 1. *Superna quæ ſunt quærenda non ſunt quædam loca tanto intervallo à nobis diſtincta, quanto cœlum ſummum ab hac terra.* R. 1. Non urgemus tantum quod τὰ ἄνω ſint quærenda; ſed quod Chriſtus dicatur ibi eſſe, & quod iſta τὰ ἄνω opponantur τοῖς ἐπὶ τῆς γῆς, iis quæ ſunt ſupra terram. 2. Non quærendum eſſe Chriſti corpus ἐπὶ τῆς γῆς, *in*, *cum aut ſub* pane, ſed mente & fide ſuprà cœlos, etiam in ſacræ Cœnæ uſu, juxta illud Veterum *Surſum corda*,

quod acclamabatur accedentibus ad ſacram ſynaxim, ut ab iſtis ſenſibilibus ad intelligibilia tranſcenderent, eleganter oſtenſum à Chryſoſtomo *in cap.10 1 Cor. Ad hoc nos inducit ſacrificium illud formidandum & admirabile, quod jubet nobis ut concordiâ & charitate maximâ ad ſe accedamus, & aquilæ in hac vita facti ad ipſum cœlum evolemus, vel potius ſupra cœlum. Vbi enim cadaver, inquit, illic & aquilæ. Cadaver Domini corpus propter mortem; Niſi enim ille cecidiſſet nos non reſurrexiſſemus; Aquilas autem appellat ut oſtendat ad alta eum oportere contendere qui ad hoc corpus accedit, & nihil cum terra debere ei eſſe commune, neq; ad inferiora trahi & repere, ſed ad ſuperiora ſemper volare, & in ſolem juſtitiæ intueri, mentiſq; oculum acutiſſimum habere. Aquilarum enim non graculorum hæc menſa eſt.*

Except. 2. *Quis negabit regnum Dei jure juſto numerari inter illa bona quæ ſupra nos quærenda ſunt, Matt: VI, 33. Ioh: XVIII, 36? At regnum Dei intra nos eſt Luc:XVII,21. Similiter quando quærimus verâ & vivâ fide Chriſtum, ea certè quærimus quæ ſuprà ſunt ubi Chriſtus eſt ad dextram Dei; Quis verò ſine extrema impudentia dicere poterit Chriſtum vivâ fide apprehenſum, tam longè abeſſe à nobis quam longè abeſt cœlum ſummum ab ima terra? Obſtante Scriptura Rom:X,6. 1 Cor:XIII:5. Epheſ:III,17.*
R. 1. Etſi quædam à nobis quærenda, *ſuperna* dicuntur potiùs morali ſenſu quam locali, Chriſtus tamen Dominus, humanitatis ſuæ reſpectu, ſurſum eſt ſenſu locali, nec amplius ἐπὶ τῆς γῆς Heb:VIII,4. imò debet cœlum eum continere & capere uſque ad tempus reſtitutionis omnium Act:III,21. 2. Regnum Dei quod *intra nos* eſt & quà tale, non eſt quærendum ἄνω, licet ſupernè veniat, & ad ſuperna ducat. 3. Chriſtus quà fide apprehenſus & habitans in cordibus noſtris per fidem, non quæritur ſurſum, ſed hic infra tenetur & poſſidetur. 4. Chriſti apprehenſio & habitatio in nobis per fidem, non efficit ut ejus corpus minus abſit à nobis loco tenus, quam cœlum ſummum ab ima terra. 5. Explorare num Chriſtus in nobis ſit, non eſt ipſum quærere ſurſum, ſed domi & in conſcientiis noſtris. 6. Cùm demum per fidem habitet in cordibus noſtris, cur volunt adverſarij eum per panem & manducationem oralem in ſtomachum ſuum demittere?

Except. 3.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Except. 3. *Loca illa ſupera ſeu cœlum illud in quod Chriſtus eſt ingreſſus, non eſt locus aliquis corporeus ſupra cœlos illos ſtellatos evectus & ab hacce terra longiſſimè remotus.* R. 1. Errorem error ſequitur ut vara vibiam: 2. Lationis ſive aſcenſionis localis rei corporeæ terminus ad quem debet eſſe corporeus non minus quam terminus à quo. 3. Si cœlum ſecundum eſt magis remotum localiter à terra quam primum, cur non & tertium? 4. Cùm cœlum in quod Chriſtus eſt ingreſſus ſe habeat ad terram, ut Sanctuarium ad Atrium in templo, debet hæc localiter ab illo diſtare. 5. Siquidem Chriſtus eò profectus eſt nobis paraturus *locum* Joh: XIV, 2. 3. non eſt quod dubitemus locum eſſe verè & propriè dictum, & aptum recipiendis ac continendis corporibus glorioſis.

Except. 4. *Idem ille Spiritus qui juſſit nos quærere τὰ ἄνω, ubi eſt Chriſtus in dextera Dei, etiam in mandatis dedit, ut corpus Chriſti in Sacra Cœna comedamus. Quocirca tam iſtud quam illud faciendum.* R. 1. Comeſtio corporis Chriſti ſpiritualis & per fidem, non requirit ejus præſentiam indiſtantem, nequidem in Sacramento; ſed tum comeditur, cum corda ſurſum attolluntur ad Dominum.

ARGUM. XI. *Prohibetur in Teſtamento & V. & N. uſus ſanguinis Act: XV, 29.*

Except. *Eſt magna impudentia negare bibitionem Sacramentalem ſanguinis Chriſti, à Chriſto ipſo diſertè præceptam, quod eſus ſanguinis bruti legatur interdictus.* R. 1. Hoc argumentum procedit à minori ad majus; ſi enim non licuit tempore Cœna inſtitutæ & ſatis diu poſt, ex prohibitione divina, ore cruorem beſtiarum haurire, quanto minus humanum? 2. Præcepit Chriſtus bibitionem Sacramentalem & ſpiritualem ſui ſanguinis, non oralem. 3. Huc faciunt verba Tertulliani *Apologet. cap. 9. Erubeſcat error veſter Chriſtianos, qui ne animalium quidem ſanguinem in epulis eſculentis habemus, qui propterea quoq; ſuffocatis & morticiniis abſtinemus, ne quo ſanguine contaminemur vel intra viſcera ſepulto. Deniq; inter tentamenta Chriſtianorum botulos etiam cruore diſtentos admovetis, certiſſimi ſcilicet illicitum eſſe penes illos, per quod exorbitare eos vultis. Porro quale eſt ut quos ſanguinem pecoris horrere confiditis,* (vel *conſpicitis*) *humano inhiare cre-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

datis, niſi forte ſuaviorem experti? 4. Etſi hoc interdictum tandem ſit ſublatum ſub N. T. per loca varia Scripturæ, nominatim 1 Cor: x, 25. 27. ſaltem quamdiu obtinuit, tamdiu obſtitit orali bibitioni ſanguinis Chriſti.

ARG. XII. *Talis eſt manducatio & præſentia Chriſti in Cœna, qualis eſt illius communio cum fidelibus. Hæc autem non eſt ſubſtantialis,* per contactum phyſicum & unionem indiſtantem corporis ſui cum noſtris; *ſed ſpiritualis per fidem* & *efficaciam Spiritus Sancti Ioh:VI,47. 50. Eph:III,17. 1 Ioh:III,24. Heb:III,14. 1 Cor:XII,13.*

Except. 1. *Qualis ſit communicatio Chriſti in ſacra Cœna, non ex argutiis humanis, quantumvis ſpecioſis, ſed ex ipſis inſtitutionis verbis diſcendum eſt.* R. 1. Argutiæ quidem vitandæ, ſed audienda eſt Scriptura. 2. Cum ordinetur Sacra Cœna ad communionem cum Chriſto, non aliunde quam ex natura hujus cummunionis quis ſit ſenſus inſtitutionis illius percipi poteſt.

Except. 2. *Paulus diſertè dicit 1 Cor: x, 16. panem benedictum eſſe* κοινωνίαν *corporis Chriſti: & ne quis hîc dubitet de vero voculæ* κοινωνίας *ſenſu, poſtea eam* κοινωνίαν *explicat v.21. per* τὸ μετέχειν *menſæ Domini. Quomodo verò exhibitio & ſumptio ſeu participatio hujus panis ſit exhibitio, & participatio Corporis Chriſti, ita explicat ipſe Chriſtus in ſacra Cœnæ inſtitutione, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur.* R. 1. Panis non eſt ſubſtantivè ipſa Corporis Chriſti communio, ſed panis eſus eſt ſignum, pignus & Symbolum iſtius communionis; quæ tamen ſpiritualis eſt atq; myſtica. 2. Eodem modo particeps eſt menſę Dominicæ, qui ſacrâ Cœnâ veſcitur, quo particeps eſt menſæ dæmoniorum, qui veſcitur idolothytis: Non tamen hic *in cum & ſub* iſtis cibis oraliter comedit ipſa dæmonia, ſed tantum communionem & ſocietatem intimam ſe cum illis ea ratione habere profitetur. 3. Non debet intelligi quo ſenſu panis quem frangimus ſit κοινωνία corporis Chriſti ex eo quod panem Chriſtus dicat eſſe corpus ſuum, ſed potiùs intelligendum quo ſenſu dicatur panis eſſe corpus Chriſti, ex eo quod appellatur κοινωνία corporis Chriſti: quomodo dictum eſt à Facundo Herminienſi *lib. 9. Sa-*

cramen-

cramentum corporis & ſanguinis Chriſti quod eſt in pane & poculo conſecrato, corpus ejus & ſanguinem dicimus, non quod propriè corpus ejus ſit panis, & poculum ſit ſanguis, ſed quod in ſe myſterium corporis ejus ſanguiniſq; contineant.

Except. 3. *Fruſtra urgetur communicationem corporis Chriſti merè ſpiritualem eſſe, fide unicè peragendam. Etenim diſertè ait Paulus quod manducando & bibendo evadamus corporis & ſanguinis Domini participes; & quod panis qui frangitur tam dignis quam indignis ſit corporis Chriſti κοινωνία, quod utiq; fieri non poſſet ſi hæc κοινωνία merè ſpiritualis eſſet, fide vnicè peragenda.* R. 1. Communicatio corporis Chriſti, debet eſſe illa manducatio ſuæ carnis per quam habitet in nobis & nos in ipſo, de qua Joh. 6. Hæc vero ſpiritualis eſt & fide peragitur. 2. Indigni accipiunt quidem ad ſuam condemnationem Sacramentum iſtius κοινωνίας, ipſius tamen rei ſignificatæ non fiunt participes. 3. Panis qui frangitur eſt illa κοινωνία, non formaliter & ſubſtantivè, ſed obſignativè & ſignificativè. 4. Non omnes qui manducant panem in Cœna fiunt participes corporis Chriſti, ſed ſolum digni communicantes. Alij manducant quidem panem Domini, non tamen eum qui Dominus eſt; Nam κοινωνίαν corporis Chriſti conſequi, adeoque *manducare illam eſcam & bibere illum potum*, eſt juxta Auguſtinum *tract 26. in Ioh. in Chriſto manere & illum manentem in ſe habere; ac per hoc qui non manet in Chriſto & in quo non manet Chriſtus proculdubio nec manducat ſpiritualiter carnem ejus, nec bibit ejus ſanguinem; licet carnaliter ac viſibiliter premat dentibus Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti; ſed magis tantæ rei Sacramentum ad judicium ſibi manducat & bibit.* 5. Si indignis convenit quoque κοινωνία corporis Chriſti, quoad rem ſignificatam, nihil pij & digni amplius habebunt in Euchariſtia, quod abſurdum. Sed plura de hac re dicenda erunt ad quæſt. 5.

ARGUM. XIII. *In omnibus Sacramentis V. & N. T. eadem eſt manducatio & communio Chriſti 1 Cor:x 3.4. At Patres V.T. nonniſi in figura & per ſolam fidem comederunt Chriſtum.*

Except. *Non eſt idem modus præſentiæ Chriſti, nec eadem manducatio atq; communio Chriſti in Sacramentis ante exhibitum Chriſtum & poſt tem-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

pus Christi in carne manifeſtati. R. 1. Hoc dicere eſt contradicere Paulo, qui ſtatuit Patres eandem eſcam & eundem potum ſpiritualem nobiſcum comediſſe. 2. Licet ſit diſtinctio inter Chriſtum exhibitum & exhibendum, exhibiti tamen manducatio & præſentia in Sacramentis alia non poteſt eſſe quam exhibendi: cum exhibitio hæc non ſit phyſica ſed moralis. 3. Adſtipulatur nobis Auguſtinus *tract. 26. in Ioh. Hunc panem* (nempè qui deſcendit è cœlo) *ſignificavit manna, hunc panem ſignificavit altare Dei; Sacramenta fuerunt in ſignis diverſa, ſed in re quæ ſignificatur paria; diverſa ſpecie viſibili, paria virtute ſpirituali: Patres enim eandem eſcam ſpiritualem comederunt quam & nos.* Item, *Aliud illi, aliud nos, ſed ſpecie viſibili quidem, tamen hoc idem ſignificante virtute ſpirituali.*

Nunc paucis diluamus Objectiones Brochmanni, quibus in hac prima quæſtione, ſuam affirmativam ſtabilire conatur: Quamvis autem unico nitatur argumento, illud tamen particulatim expendemus, & in plures objectiones, diſtribuemus, ne quid prætermiſiſſe videamur.

OBJECT. I. *Euangeliſtæ tres & Paulus oratione rotundâ docent edi in hac cœna præter panem corpus illud Chriſti quod pro nobis eſt traditum, & bibi illum ſanguinem qui pro nobis in remiſſionem peccatorum effuſus eſt. At non tropicum corpus ſed ſubſtantiale Chriſti corpus pro nobis in mortem eſt traditum, nec figuratus ſed ſubſtantialis Chriſti ſanguis pro nobis in remiſſionem peccatorum eſt effuſus: Adeſt igitur in ſacratiſſima hac cœna, non fictum & figuratum, ſed ſubſtantiale corpus Chriſti, & ipſiſſimus Chriſti ſanguis.*

Reſp. 1. Hoc argumentum nobis non obeſt; nam & largimur, à piis non panem tantum *edi*, ſed verum Chriſti corpus: illum quidem oraliter, hoc vero ſpiritualiter & fide, quâ demum ratione caro Chriſti eſt comeſtibilis ad ſalutem. 2. Nec Euangeliſtæ nec Paulus, dicunt *præter panem* manu ſumi & ore *edi* corpus ipſum Chriſti, ſed tantum illum panem comedendum eſſe Chriſti corpus, & illud vinum bibendum ipſius ſanguinem, *non rei veritate ſed ſignificante myſterio, ut ſit ſenſus vocatur Chriſti corpus, ideſt ſignificat*, inquit Gloſſa ipſa *Can. Hoc eſt. diſt. 2. de Conſ. 3.* Eodem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

dem demum modo panis eſt in Cœna corpus Chriſti & vinum ejus ſanguis, quomodo in Cœna corpus Chriſti traditur & frangitur, ſanguiſque illius effunditur in remiſſionem peccatorum pro nobis: At hoc non fit in Cœna niſi ſignificativè & commemorativè. 4. Cùm panis ſubſtantiâ ſuâ non ſit corpus Chriſti, negari nequit eum eſſe *ſignum* & *figuram* illius, ut multi Veterum loquuti ſunt; adeoque Corpus Chriſti non propriè ſed figuratè; quo ſenſu Brochmannus negare nequit etiam corpus Chriſti *figuratum* & *tropicum*, ideſt figuram veri Corporis Chriſti pro nobis traditi & fracti, adeſſe in Cœna, niſi neget cum Pontificiis panem in Cœna remanere, aut ſibi fingat panem hunc nec ſignum nec figuram eſſe vllo modo corporis Chriſti. 5. Non dicimus corpus tropicum pro nobis traditum eſſe in mortem, ſed panem & vinum eſſe *figuram corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti*, (ejuſque veri & ſubſtantialis,) ut loquitur author librorum *de Sacram.* apud Ambroſium *lib.4. cap.4.* 6. *Adeſt* verum & ſubſtantiale corpus Chriſti in Cœna bifariàm: nempe ſignificativè & commemorativè in pane, quod eſt illius ſignum & figura; item ſpiritualiter fidei dignè communicantium eoque veſcentium ad ſalutem; ſed non *adeſt* localiter vel indiſtanter *in cum & ſub* pane, ut fingunt adverſarij.

OBJ. II. *Accepto pane, accipitur ſubſtantia corporis Domini, & bibito vino bibitur ipſiſſimus Domini ſanguis. Etenim de eo quod Dominus porrigebat Diſcipulis ſuis edendum, dixit* Edite, Hoc eſt corpus meum. *Extra autem omne dubium eſt porrectum eſſe panem, quippe de quo præmittitur, quod illum acceperit Dominus, fregerit & diſcipulis dederit. Iam verò ſi Diſcipuli præter nudum panem non accepiſſent quicquam, verè non dixiſſet Chriſtus,* Accipite comedite, Hoc eſt corpus meum. *Nam panis quocunque demum modo conſideretur, non eſt corpus Domini pro nobis traditum.*

Reſp. 1. Accepto manu pane, accipitur ſubſtantia corporis Chriſti, quo ſenſu panis dicitur eſſe corpus Chriſti, nempe ſignificativè & commemorativè. Etenim Chriſtus *ſymbola & ſigna quæ videntur appellatione corporis & ſanguinis honoravit*, inquit Theodoretus *Dial.1. contra Eutych.* 2. Piè & dignè communicantes, non ſolùm

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

ſolùm ore panem ſumunt, ſed fide & mente ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti, *paſſioni Domini communicando, & ſuaviter atque utiliter recondendo in memoria quod pro nobis caro ejus crucifixa & vulnerata ſit*, ut loquitur Auguſtinus, explicans quid ſit manducare carnem Chriſti *lib.3. de Doct. Chr. cap.16.* quò pertinet & illud Weſſeli Groningenſis *de Sacr. Euch. cap.5. Quod commemoratione reficimur & ab omnibus debitis abſolvimur.* 3. Ex toto ſermone Brochmanni id tantum ſequitur quod non eſt controverſum, panem dici à Chriſto ſuum corpus: Id enim dicit ſuum eſſe corpus, quod accepit, fregit & dedit Diſcipulis. 4. Nec aliquid *præter panem* in manus ſumere & ore comedere debuerunt, ut verè dixerit Chriſtus *Accipite comedite, Hoc eſt corpus meum*; ſiquidem ille ipſe panis eſt & dicitur corpus Chriſti Sacramentaliter & ſignificativè, ut Petra erat Chriſtus 1 Cor:x,4. 5. Si *panis quocunque demum modo conſideretur non eſt corpus Domini*, falſó igitur Chriſtus tradendo panem quem acceperat & fregerat, de illo ipſo pane dixerit eum eſſe corpus ſuum. Etenim *Senſu communi carent qui negant pronomen* τοῦ *Hoc, ad panem pertinere*, inquit Melancthon *in quad. Epiſt. ad Ambr. Morbanum, pag.354. Epiſtolarum anno 1647. editarum.* Nec de alia re quam de pane quem acceperat & fregerat, Chriſtus hæc verba proloquutus eſt, *Hoc eſt corpus meum.* Nequit vero panis vicem ſubjecti ſuſtinere per pronomen *hoc* in enunciatione Chriſti, quin illi quodam ſenſu debeat tribui quod ſit corpus Domini; ut domo abfuerit D. Brochmannus dum id negavit.

OBJ. III. *De poculo ita loquitur Chriſtus ut planiſſimè indicet doceatque in eo non eſſe tantum vinum, ſed etiam ſanguinem pro redemptione generis humani effuſum. Hæc enim ſunt Servatoris verba apud Lucam XXII, 20.* Τοῦτο τὸ ποτήριον *eſt Novum Teſtamentum in meo ſanguine,* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *Vbi Ieſus Chriſtus Sacramenti hujus inſtitutor planiſſimâ oratione monet poculum iſtud è quo bibebant Apoſtoli, poculum eſſe quod pro genere humano effunditur in peccatorum remiſſionem. Certius autem eſt quam ut negari à quoquam poſſit, poculum iſtud nec ratione materiæ formæque è quibus conſtabat, nec ratione vini quod continebat, ſed ratione ſanguinis Chriſti, quod ex iſto poculo cum vino bibebatur, à Chriſto vo-*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

cari πολύελον *pro nobis effuſum: Hæc enim eſt verborum quæ extant apud Lucam explicatio, tradita à Matthæo* XXVI, *27.28.& Marco* XIV, *23.24. Accipiens calicem & gratiis actis dedit eis dicens, Bibite ex eo omnes, Hic enim eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti qui pro multis effunditur in remiſſionem peccatorum.*

Reſp. 1. De loco Luc. XXII, 20. diximus ſufficienter in vindiciis argumentorum noſtrorum. 2. Cùm Lucæ ſenſus accerſatur ab aliis Euangeliſtis, ex illis ſatis patet effuſionem apud Lucam non ad *poculum*, ſed ad ſanguinem referri. 3. Non poſſunt Adverſarij hic tropicas loquutiones declinare; ut quod poculum dicatur Novum Teſtamentum, per metonymiam ſigni; quod illud poculum ſtatuatur, juxta Adverſarios, effuſum in remiſſionem peccatorum, per metonymiam adjuncti; quod iſtud poculo-Novum Teſtamentum in ſanguine Chriſti effuſum, bibi dicatur, tropo longè inſolentiori: cùm nihil abſurdius fingi poſſet quam id poculum quod effunditur, vel id quod è poculo effunditur, bibi oraliter à communicantibus. 4. Si poculum Euchariſticum ſtatuatur effuſum in remiſſionem peccatorum, habebunt ex eo Pontificij quo ſuum ſacrificium Miſſaticum conſtabiliant: cùm ibi videatur eſſe ſacrificium pro peccato, ubi ſit non merè commemorativa, ſed realis & propriè dicta ſanguinis effuſio in remiſſionem peccatorum. 5. Senſus Euangeliſtæ planus eſt, Poculum, ſive vinum quod in illo erat, eſſe Novum Teſtamentum, in ſanguine Chriſti, ideſt Symbolum & Sacramentum Novi & gratuiti fœderis, quod eſt ſancitum in ſanguine Chriſti effuſo in remiſſionem peccatorum pro nobis; planè eodem ſenſu quo apud reliquos Euangeliſtas idem poculum dicitur eſſe ſanguis Novi Teſtamenti; ideſt ſignum & Sacramentum illius ſui ſanguinis quo ſancitur Novum Teſtamentum, ut prius & Vetus ſine ſanguine ſancitum non fuerat Heb: IX, 17.18 19.20. 6. Nec ſanguinem ipſum Chriſti oraliter ebibi ex iſto poculo, ſed tantum illius Sacramentum, vel ex eo conſtat quod nec Chriſtus proprium ſuum ſanguinem, prælibando ex hoc calice, hauſiſſe cenſendus ſit, & vocetur ab eo diſertè *genimen vitis* quod ex illo hauritur Matt: XXVI, 29. Marc: XIV, 25. Luc: XXII, 18.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

OBJ. IV. *Vt dubitandi vel minimam ſuſpicionem præcidat* Dei *Spiritus quaſi panis & corpus Domini, vinum & ſanguis Domini, in uſu hujus Sacramenti non ſint conjunctiſſima, unitiſſimam illam conjunctionem ita enunciat Dei Spiritus per Apoſtolum Paulum* 1 Cor:x,15. *Poculum benedictionis cui benedicimus nonne communicatio eſt ſanguinis Chriſti, Panis quem frangimus, nonne communicatio eſt corporis Domini?*

Reſp. 1. Etiam de hoc loco dictum ſupra in vindiciis. 2. In his verbis Pauli tropus neceſſariò eſt agnoſcendus, cùm nequeat prædicari propriè ſed tantum figuratè κοινωνία corporis & ſanguinis Chriſti de pane & poculo. 2. Senſus Pauli eſt perſpicuus, panem & calicem eſſe nobis ſigna, ſymbola & pignora iſtius κοινωνίας, quæ cæteroquin in myſtica intimaque noſtri conjunctione cum Chriſto per Spiritum Sanctum & fidem conſiſtit. 3. Iſtorum hominum foret nobis explicare quæ ſit major conjunctio corporis & ſanguinis Chriſti cum pane & poculo Euchariſtico, quam cum reliquis omnibus Creaturis, quibus caro Chriſti per Omnipræſentiam & Ubiquitatem ſibi à λόγῳ communicatam, ut volunt, intimè præſens eſt Act: XVII, 28. 4. Conjunctionem admittimus corporis Chriſti & panis in Euchariſtia, σχετικὴν & relationis, quæ inter ſignum & rem ſignatam intercedit; ſubſtantialem verò & indiſtantem per contactum phyſicum aut proximam contiguitatem, ſupponere & fingere poſſunt Adverſarij, probare non poſſunt. 5. Cum ſeparata ſint & ſeparatim ſumantur, panis & poculum, deberent à ſe mutuo ſeparari corpus Domini & ſanguis illius ac ſeparatim ſumi, ſi talis unitio proximæ contiguitatis corporis cum pane & ſanguinis cum vino, ſit admittenda. 6. Quin oporteret Chriſti ſanguinem extravaſatum calice contineri, ſi ore bibatur ex ipſo calice, cùm id ſolum bibi poſſit quod liquidum & fluidum eſt. Quis vero ſanæ mentis ſibi perſuadeat adhuc quotidie ſanguinem Domini extra ſuas venas effundi ut epotetur à nobis & Cyclopico more ora noſtra illo cruententur?

Judicet nunc Lector, an hæ ratiunculæ Cl. Brochmanni debeant haberi pro *invicta demonſtratione*, uti ipſe loquitur, *eaque ſimpliciſſima, præſentia* illius quam fingunt *corporis & ſanguinis Domini* in Cœna

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

in Cœna, *ex ipſis verbis inſtitutionis nudè deſumpta.* Sed tranſeamus ad reliquas quæſtiones, in quibus nos cum ipſo erimus breviores.

QUæſt. II. *An in verbis Chriſti,* Hoc eſt Corpus meum, *ſit ſervandum* τὸ ῥητὸν, *an verò tropus ſit admittendus?* *Lutherani,* inquit ipſe Brochmannus, *pro* τῷ ῥητῷ *vehementiſſimè pugnant*; Nos poſterius affirmamus. Ea autem noſtrorum duntaxat proponemus argumenta, quæ Brochmannus uteumque attigit & conatus eſt eludere.

ARGUM. I. *Hæc enunciatio eſt figurata, quia copula duo diſparata conjungit*; ſive quia diſparatum, nempe *corpus Chriſti*, de diſparato, nempe *pane*, prædicatur. Diſparatum autem de diſparato non poteſt prædicari in recto caſu, niſi tropicè & figuratè.

Except. I. *Fieri non poteſt ut ulla prædicatio ſit tropica in qua nec ſubjectum, nec prædicatum, nec copula, tropo modificatur.* R. I. Eo ipſo qnod propriè non poſſit prædicari corpus Chriſti de pane, debet vel ſubjectum, vel prædicatum, vel copula tropum ſuſtinere. 2. Etiamſi non conſtaret ſatis accuratè de ſede tropi; ſufficeret rem ipſam jndicare evidenter, id tropicè intelligendum. 3. Ipſe Brochmannus fatetur quod *Diſparata nunquam de ſe invicem prædicantur affirmatè, ſecundum ordinarium naturæ curſum.* Unde ſequitur naturæ curſum ordinarium immutatum à Chriſto, cùm dixit *Hoc eſt corpus meum.*

Except. 2. *Ipſa Propoſitionis hujus* ἀγράφου, Panis eſt corpus Chriſti, *reſolutio, evidentiſſimè teſtatur tropum ſtatui in ſubjecto; Nam corpus per Metonymiam ponitur pro ſignaculo Corporis; cum tamen non ſignaculum corporis Chriſti, ſed ipſum corpus Chriſti pro nobis in mortem traditum ſit.* R. I. Putem Brochmannum voluiſſe dicere *in prædicato*; cum hæc ipſa Analyſis eò ducat. 2. Hæc loquutio, *Panis eſt corpus Chriſti*, multo minus ἄγραφος eſt quam doctrina Ubiquitatis & Conſubſtantiationis. 3. Cùm pronomen *Hoc* ſubſtantivè ſit ſumendum,

 & ſup-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

& ſupponat pro pane, non poteſt alius eſſe ſenſus verborum Chriſti quam *Hic panis eſt corpus meum*: hæc vero propoſitio ſi reſolvatur in propoſitionem ſecundi adjecti huic reſpondebit, *Hic panis ſignificat corpus meum*: ſi in propoſitionem tertij adjecti, iſti, *Hic panis eſt ſignum corporis mei*; prout dictum ab Auguſtino *cap. 12. contra Adimant. Non dubitavit Dominus dicere, Hoc eſt corpus meum, cum daret ſignum corporis ſui*; & à Tertulliano ante ipſum *lib. 4. contra Marc. Acceptum panem & diſtributum diſcipulis corpus ſuum illum fecit, Hoc eſt corpus meum dicendo, ideſt figura corporis mei.* 4. Nihil frequentius toti Antiquitati quam hæc verba Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, per illa explicare, *Hic panis eſt corpus meum*: quod & ipſi Lutherani debent urgere contra Pontificios ad Tranſſubſtantiationem evertendam. 5. Cùm hæc propoſitio, *Panis eſt corpus Chriſti*, falſi non poſſit argui & hanc habeat reſolutionem, ut fateri videtur Brochmannus, *panis eſt ſignaculum corporis Chriſti*, omninò tropica eſſe debet. 6. Non tamen inde ſequitur ſignaculum corporis Chriſti pro nobis in mortem traditum eſſe, ſed panem eſſe Signaculum corporis Chriſti pro nobis in mortem traditi; cùm ratio Grammatices exigat ut adjectivum conveniat cum ſubſtantivo in caſu & genere. 7. Si pronomen *Hoc* id denotet in verbis Chriſti quod pro nobis in mortem traditum eſt, debebit panis quoque pro nobis in mortem traditus fuiſſe, cùm panem etiam illo deſignari non negent Adverſarij.

ARG. II. *Propoſitiones hæ*, Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, *ſunt prædicationes ratione diſpoſitionis Logicæ impropriæ, in quibus prædicatum ſubjecto tribuitur, non ob internam & eſſentialem cohærentiam, ſed ob externam relationem & analogiam.*

Except 1. *Quando in propoſitionibus perſonalibus Deus & homo, In Sacramentalibus autem panis & corpus Domini, vinum & ſanguis Domini, res verè diſparatæ junguntur, non ſunt prædicationes uſitatæ & quæ quadrent ad conſuetas naturæ leges.* R. 1. Perperam hæc loquutio Sacramentalis, *Panis eſt corpus Chriſti*, confertur cum iſta perſonali de Chriſto, *Deus eſt homo*: Nam in illa diſparatum de diſparato prædica-

prædicatur, in hac non: Licet enim diſparata ſint Deitas & Humanitas, tamen non ſunt diſparata reſpectu Chriſti, niſi in Schola Neſtorij, Deus & homo: cùm utrumque ſit nomen ejuſdem perſonæ, non alterutrius tantum naturæ. 2. Ex hac comparatione ſequeretur unionem hypoſtaticam corporis Chriſti cum pane eſſe concipiendam per quam in unum ſuppoſitum convenirent, prout ex unione hypoſtatica λόγου cum humanitate aſſumpta, naſcitur hæc propoſitio vera de Chriſto, *Deus eſt homo.* 3. Cùm per Ubiquitatem carnis Chriſti, ea non ſit minus præſens pani qui adhuc coquitur in furno piſtoris, quam ei qui frangitur in menſa paſtoris, juxta placita Ubiquitariorum, non minus de illo quam de hoc uſurpari poſſet hæc loquutio, *Panis eſt corpus Chriſti.* 4. Hîc gratis fingitur prædicatio *non uſitata*, & quæ *non quadret ad conſuetas naturæ leges*, cùm nihil uſitatius ſit in materia qualibet Sacramentali, quam ſignum nomine rei ſignificatæ appellari: Exempla proſtant Gen: XVII, 10. 13. Exod: XII, 11. 26. 1 Cor: X, 4. Heb: X, 29. & paſſim: Unde Auguſtinus *ep. 23. ad Bonifac. Si Sacramenta quandam ſimilitudinem earum rerum quarum ſunt Sacramenta non haberent, omninò Sacramenta non eſſent. Ex hac autem ſimilitudine plerumque etiam ipſarum rerum nomina accipiunt; Sicut ergo ſecundum quendam modum Sacramentum corporis Chriſti corpus Chriſti eſt, ita Sacramentum fidei*, videlicet baptiſmus, *fides eſt.* 5. Si prædicatio hæc eſt inuſitata, eo ipſo magis erit impropria, ac per conſequens tropica & figurata.

Except. 2. *Fundamentum harum propoſitionum*, perſonalium & Sacramentalium, *non eſt nuda quædam σχέσις & analogia; aliàs quodvis ſignum & ſignatum & quævis relata de ſe invicem caſu recto & vocibus ſubſtantivis prædicari poſſent; quod falſum eſt; ſed ſingularis & extraordinaria unio, fundamentum eſt harum prædicationum; Nam duæ naturæ diſparatæ in perſona Chriſti junguntur affirmatè, quia ſupra & contra ordinem naturæ admirabili Dei diſpenſatione coaleſcunt in unam perſonam; In Sacramento vero Cœnæ, panis & corpus Domini, vinum & ſanguis Domini, de ſe invicem enunciantur, quia extraordinaria Dei inſtitutione panis eſt communicatio corporis Domini, & vinum eſt communicatio ſanguinis Domini 1 Cor: x, 16.* R. 1. Harum propoſitionum collatio eſt Eutychiana, ut videre eſt in *Dialogis* Theodoreti. 2. Duæ na-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

turæ in Chriſto de ſe mutuo non prædicentur; nec enim uſpiam dicitur, *Divinitas eſt Humanitas*, aut viceverſa: Deus vero & homo in hac enunciatione de perſona Chriſti, *Deus eſt homo*, non ſunt diſparata, uti panis & corpus Chriſti. 3. Fundamentum illius prædicationis perſonalis, *Deus eſt homo*, eſt vnio hypoſtatica per quam duæ naturæ in unum ſuppoſitum & ὑφιςάμϑμον coaleſcunt; quod fingi nequit de pane & corpore Chriſti in cœna Domini; niſi prout *Incarnatio* λόγȣ admittitur jure inter fidei articulos, etiam in Symbolum fidei recipiatur *Impanatio* Chriſti, jam olim à Guitmundo & Algero rejecta, illo nominatim *lib. 3. de Sacram.* hoc verò *lib. 1. de Sac. cap. 6.* ita ut Berengarij ſententiam, quæ eſt etiam Reformatorum, cenſuerint præferendam: Iſti ſanè errori, quem primùm Paſchaſius Corbeienſis invexit circa annum Domini 816. (quo tempore cœpit præludi Tranſſubſtantiationi, per agitationem hujuſce quæſtionis, *Num id quod recipitur in Eucha-riſtia ſit necne corpus quod ex Virgine ſumptum fuit*;) illicò poſt Rabanus Maurus Moguntinus Præſul, Ratramnus ſive Bertramus Corbeienſis, Johannes Erigena Scotus, Amalarius, Heribaldus, aliique heroës Orthodoxæ ſententiæ aſſertores, ſe cordatè oppoſuerunt. 4. Panis & corpus Domini non enunciantur *de ſe invicem* reciprocè; Dicit enim Scriptura panem Sacræ Cœnæ eſſe corpus Domini, ſed nuſquam corpus Domini eſſe illum panem. 5. Quod ſi reciproca enunciatio hic debeat eſſe, ſupponet noſtram ſententiam; ut ſi dixeris Panis, in Euchariſtia eſt ſignum corporis Chriſti, & Corpus Chriſti eſt ſignatum panis in eodem Sacramento. 6. Fundamentum loquutionis iſtius Sacramentalis, quâ panis dicitur eſſe corpus Chriſti non eſt quælibet χέσις, ſed relatio illa analogiæ & ſimilitudinis, (ob quam ſignum maximè practicum, & moraliter exhibitivum rei ſignificatæ, illius nomen ſumit) quę inter panem Euchariſtiæ & corpus Chriſti ex illius inſtitutione intercedit; quâ etiam factum ut panis eſſet κοινωνία corporis Chriſti & poculum ſanguinis ipſius, ideſt illius communionis noſtræ ſalutaris cum Chriſto pignus & Sacramentum. 7. Ex ejuſmodi analogia, quælibet ſigna & relata quæ in ſimilitudine fundantur, de ſuis correlatis, etiam in caſu recto, tro-

picè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

picè poſſunt prædicari; Si quis eminus videat fumi grandem globum, & petat à ſuo vicino, Quid hoc eſt? ille reſpondebit proculdubio, Incendium eſſe. Si filius Mævij conſpectus fuerit ſimilis ſuo patri, vel vultu, vel moribus, dicitur, Hic juvenis eſt ipſemet Mævius; quia ſic ille humeros, ſic ora ferebat. Tabulam pictam, Cæſarem vocamus vel Alexandrum, quia ejus imaginem continet.

ARG. III. *Verbum* EST *in hac enunciatione Chriſti*, Hoc eſt corpus meum, *non ὑπαρκτικῶς, ſed σημαντικῶς ſumi debet & exponi per τὸ SIGNIFICAT; prout loquutiones plurimæ ſimiles extant in ſacris; cujuſmodi ſunt, Petra erat Chriſtus 1 Cor: x, 4. Circumciſio eſt fœdus Gen:xvii,10.13. Paſcha eſt tranſitus Exod:xii,11.26. Iris eſt fœdus Dei Gen:ix,9. Septem vaccæ ſunt ſeptem anni Gen: xli, 46. Sabbathum eſt fœdus Dei Exod:xxxi,16. Operculum arcæ eſt propitiatorium Exod: xxv, 17. Sanguis eſt fœdus Exod:xxiv,8. Victimæ ſunt expiatio Levit:iv,31. Oſſa ſunt domus Iſrael Ezech:xxxvii,11. Tu es caput aureum Dan:11,28. Sacrificia ſunt peccata Oſ: iv, 8. Duæ matres Agar & Sara ſunt duo teſtamenta Gal:iv,24.* Hæc enim ſunt exempla quę ipſe Brochmannus commemorat.

Except. 1. *Copula* EST *non poteſt ſuſtinere tropum, idq́ʒ quia tropus, eſt Argumentorum Logicorum permutatio; Copula autem* EST *non eſt Argumentum Logicum, niſi licitè velis in quovis Syllogiſmo eſſe quatuor terminos, nimirum ſubjectum, prædicatum, medium terminum & copulam.* 1. Tropus non poteſt dici commodè permutatio argumenti Logici, cum ſit affectio Rhetorica non Logica, & permutatio ſignificationis in voce aut dictione. 2. Etſi verbum EST, ut Logicè conſideratur, ſit tantum copula terminorum in argumento, non terminus ſpecialis, id non impedit quominus Rhetoricè vel Grammaticè tropi ſedes eſſe poſſit. 3. Etiam in argumento Logico verbum EST, poteſt alium uſum ſuſtinere quam meræ copulæ; ut in hac enunciatione, *Deus Eſt.* 4. Cum aliquid hoc vel illud eſſe dicatur quandoque, non ὑπαρκτικῶς & ſubſtantivè, ſed tantum σημαντικῶς atque ſignificativè, illa vocula debet intelligi

pro

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

pro ſubjecta materia. 5. Quamvis nihil Logicè ſignificet, quia Logicè loquendo, neque verbum eſt neque nomen, tamen Grammaticè verbum eſt, quod vel in propria vel in tropica ſignificatione poteſt uſurpari.

Except. 2. *Miſſis circuitionibus & curioſâ diſputatione, An exempla adducta ad rem faciant, quo labore defuncti ſunt alij, Hunnius, Graverus, Meiſnerus, Eſto dentur innumera exempla in Scriptoribus Sacris & profanis in quibus τὸ EST uſurpatur pro SIGNIFICAT, inde non poteſt confici quidquam incommodaturum noſtræ cauſæ, niſi aut oſtendatur hanc eſſe perpetuam verbi EST ſignificationem, quod ne ipſi quidem concedunt Adverſarij; aut indubitatæ & invictæ afferantur cauſæ ob quas in ſacræ Cœnæ inſtitutione τὸ EST per τὸ SIGNIFICAT neceſſariò explicari debeat, quæ nondum prolatæ ſunt, nec proferri poſſunt.* R. 1. Benè eſt quod *ad Circuitiones* non neceſſarias referuntur quæ ab aliis diſputata ſunt de ſignificatione hujus vocis: & laudamus ingenuitatem Cl. Brochmanni, qui miſſis ſuorum vitilitigationibus, bonâ fide agnoſcit *dari innumera exempla in Scriptoribus Sacris & profanis in quibus τὸ EST uſurpatur pro SIGNIFICAT*; in quo ſuos Meiſneros, Graveros, Hunnios, deſerit. 2. Hinc ergo ſequitur præcedentem exceptionem evaneſcere, & in ea enunciatione in qua EST ſumitur pro SIGNIFICAT, tropum in copula collocari. 3. Non eſt neceſſe ad noſtrum argumentum, ut eodem ſenſu ſemper id verbi uſurpetur: Satis nobis eſt quod alium ſenſum non poſſit hîc obtinere; Cujus rei ſequentes adferimus rationes; 1. Panis non eſt corpus Chriſti ſubſtantivè, ergo ſignificativè. II. Eodem ſenſu panis eſt corpus Chriſti, quo ſenſu poculum eſt Novum Teſtamentum in ipſius ſanguine, item κοινωνία ſanguinis ipſius; at id eſt ſignificativè, non ſubſtantivè. III. Id exigit indoles & natura Sacramenti, cujus eſſentia ac formalis ratio eſt χετικὴ & ſignificativa. IV. Eodem ſenſu illa vox ſumitur in aliis loquutionibus Sacramentalibus. V. Non eſt vox alia apud Hebræos & Syros, quâ linguâ Chriſtus loquutus eſt, quæ ſumatur pro *Significat*. VI. Idem erat uſus illius vocis in ritibus illis Paſchalibus quos Chriſtus traduxit ad hoc Sacramentum: Dicebat enim pater-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

paterfamiliàs diſtribuendo tortam panis azymi inter ſuos, *Hoc*, vel *hic panis, eſt panis miſeriæ quem patres noſtri comederunt in Ægypto*, cum talis non aliter eſſet quam commemorativè & ſignificativè. VII. Tota Antiquitas Orthodoxa hîc nobis militat, tum quia panem Cœnę vocat ſæpiſſimè ſignum, typum, figuram, imaginem corporis Chriſti; tum quia non raro illud EST exponit per SIGNIFICAT, juxta Gloſſam *Can. Hoc eſt, diſt. 2. de Conſec. Sacramentum quod verè repræſentat Chriſti carnem, dicitur Chriſti corpus ſed impropriè; Vnde dicitur ſuo modo, ſed non rei veritate, ſed ſignificante Myſterio; ut ſit ſenſus, Vocatur Chriſti corpus, ideſt ſignificat.* Ideo ipſe Ambroſius *de iis qui initiantur Myſt. cap. 10. Ante benedictionem verborum cœleſtium* (inquit) *alia ſpecies nominatur, poſt conſecrationem corpus Chriſti SIGNIFICATVR.* VIII. Nobis adſtipulatur communium noſtrorum Adverſariorum Confeſſio: Bellarminus enim *lib. 3. de Euchar. cap. 19.* ſic loquitur; *Hæc verba neceſſariò inferunt aut veram mutationem panis, ut volunt Catholici, aut mutationem metaphoricam, ut volunt Calviniſtæ; nullo autem modo ſententiam Lutheranorum admittunt.*

Except. 3. *Si* τὸ EST *in hac propoſitione, Hoc eſt corpus meum, idem denotabit quod* τὸ SIGNIFICAT, *ſubjectum propoſitionis erit panis, hoc ſenſu, Panis eſt corpus meum, ideſt ſignificat corpus meum. At vero ſubjectum propoſitionis non eſt nudus panis; ſic enim dicendum eſſet* οὗτος ἐστὶ τὸ σῶμά μου, *non autem* τοῦτο ἔστι τὸ σῶμά μου. *Nam vox* ἄρτος *quæ præcedit non eſt neutrius, ſed maſculini generis.* R. 1. Revera ſubjectum in illa enunciatione panis eſt; nec poteſt aliud fingi, cùm hoc dicat Chriſtus de eo quod acceperat, quod fregerat, quod dentibus terendum dederat diſcipulis; id autem panis erat. 2. Pronomen illud demonſtrativum τοῦτο, non eſt adjectivum ſed ſubſtantivum, adeoque non debuit convenire cum voce ἄρτος in eodem genere. Si quis dederit ſuo amico annulum aureum, & dixerit, accipito & ſervato tibi hoc in arrham & teſſeram amoris mei, non incongruè loquetur; licet annulus ſit maſculini generis, arrha fœminini, & *Hoc* neutrius. 3. Vel ſubjectum in hac propoſitione, eſt panis, vel ipſum corpus Chriſti. Sed poſterius ſtatui nequit vel ex toto, vel ex parte: Si enim *Hoc* denotet ſolum corpus Chriſti, hic erit

 ſenſus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

ſenſus, Hoc corpus meum, eſt corpus meum. Sed oratio foret nugatoria: Si denotet ſimul panem & corpus Chriſti, tum hic erit ſenſus, Hoc, ideſt eſt hic panis & hoc corpus meum, eſt corpus meum: Atqui ſic primò, ex parte ſaltem panis diceretur corpus Chriſti, idque tropicè & ſignificativè; Secundò, non minus verum foret dicere, Hic panis & hoc corpus meum eſt panis, quam eſt corpus meum: Tertiò, ſemper diceretur à Chriſto ſine ſenſu, ſine myſterio, corpus ſuum eſſe corpus ſuum: Quartò id ſolum dicitur eſſe corpus Chriſti quod acceperat in menſa & fregerat ſuis manibus: id verò nullomodo fuit ſubſtantialiter corpus ipſius.

Except. 4. *Apoſtolus Paulus rotundâ oratione docet quod panis in cœna non adhibeatur ut ſit ſignum abſentis corporis Chriſti, ſed ut ſit medium adhibitum ad exhibendum corpus Chriſti: nam inquit, Panis quem frangimus nonne eſt* κοινωνία *corporis Chriſti?* R. 1. Panis eſt ſignum corporis Chriſti loco *abſentis*; nam totum hoc fit in memoriam ipſius donec veniat; ſed ſigno præſentis; unde ipſe panis corpus Chriſti dicitur. 2. Exhibetur pane corpus Chriſti, non exhibitione phyſicâ & reali, quod illud corpus in ſe localiter contineat & involuat; ſed exhibitione myſticâ, morali & ſignificativâ; ut *Clavium* traditione quis mittitur in poſſeſſionem domus; & qui *Faſces* conſequitur, juriſdictionem & imperium cenſetur obtinere. Quò facit illud Bernardi *ſerm. de Cœna Domini*; *Sicut inveſtitur Canonicus per librum, Abbas per baculum, Epiſcopus per annulum, ſic diviſiones gratiarum diverſis ſunt traditæ ſacramentis.* 3. Panis non eſt ſubſtantivè κοινωνία corporis Chriſti, neç *medium* phyſicum illius obtinendæ, ſed tantum morale & Sacramentale; quomodo Circumciſio dicitur ſignum & ſigillum juſtitiæ fidei Rom: IV, 11. Hoc ſenſu non eſt *luſus merus verborum*, ut clamitat Brochmannus, quod ſtatuimus rem ſignificatam conferri ſive exhiberi Sacramento, etſi negemus eam *in cum & ſub* pane contineri & includi.

Except. 5 *In poſteriore parte* τοῦτο *non deſignat nudum vinum. Hæc enim ſunt verba Lucæ XXII, 20.* τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον. *At non vinum ſed ſanguis Chriſti pro nobis in remiſſionem peccatorum effuſus eſt.* R. 1. Jam antea in prima

quæſtione

quæſtione de hoc loco abundè diximus. 2. Poculum non eſt effuſum in remiſſionem peccatorum, ſed ſanguis Chriſti. 3. Eodem ſenſu vinum eſt ſanguis effuſus in remiſſionem peccatorum, quo panis eſt corpus Chriſti quod fractum eſt pro nobis, ſacramentaliter ſcilicet & ſignificativè. 4. Illud τοῦτο, non eſt ſubſtantivum ſed adjectivum, quia totum ſubjectum non conſtituit, ut in altera illa enunciatione, *Hoc eſt corpus meum*: Hîc enim ſubjectum propoſitionis eſt *hoc poculum*. 5. In hoc ſubjecto, poculum ſumitur metonymicè pro vino poculi. 6. τὸ ἐκχυνόμενον non conſtituit totum prædicatum enunciationis, ſed pertinet tantum ad illius deſcriptionem: Subjectum enim eſt τοῦτο τὸ ποτήριον, *Hic calix*, vel *Hoc poculum*: prædicatum verò eſt, quod hoc poculum ſit *Novum Teſtamentum in ſanguine qui pro nobis effuſus eſt.* Etenim in hac enunciatione Chriſti debet ſuppleri copula; prout ſæpè ſupplenda venit in Hebraiſmo; ut Gen: XL, 12.18. *Tres ipſi rami* vel *tria caniſtra*, *tres dies*, ſupple ſunt. Et Gen: XLI, 25. *Septem vaccæ ipſæ ſeptem anni.* Copula autem ἐστὶ non eſt interſerenda ante ἐκχυνόμενον, quia illud τὸ quod eò ſpectat eſt relativum τοῦ αἵματος, ſed debet interſeri ante ἡ καινὴ διαθήκη, quia non poculum Novum Teſtamentum in ſanguine Chriſti dicitur eſſe effuſum pro nobis, ſed poculum quod dabat Chriſtus dicitur eſſe Novum Teſtamentum in ſanguine ſuo qui pro nobis effuſus eſt: Unde etiam non Beza ſolus ſed etiam Tremelliana Syri verſio, verbum *eſt* interſerit ante *Novum Teſtamentum.* 7. Eo quod non vinum ſed ſanguis Chriſti pro nobis effuſus eſt, demonſtratur poculum pro nobis effuſum non eſſe, cùm poculum non ſit ſanguis Chriſti, ſed Novum Teſtamentum in Chriſti ſanguine, ideſt Tertulliano interprete, *Teſtamentum ſanguine ſuo obſignatum.* 8. Cum ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματι, apud Lucam, ſit idem quod τὸ αἷμα τῆς καινῆς διαθήκης apud Matthæum, ad imitationem Moſis Exod: XXIV, 8. Heb: IX, 20. dubium non eſt quin τὸ ἐκχυνόμενον reſpiciat ſanguinem non poculum. *Conſtructio eſt*, inquit Grotius, *qualem aliquoties jam annotavimus* πρὸς τὸ σημαινόμενον. *Nam quia idem eſt* διαθήκη ἐν αἵματι & αἷμα διαθήκης, *ut hoc loco poſt Moſem & Zachariam, Matthæus & Marcus loquuntur, ideo* τὸ ἐκχυνόμενον

 intulit

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

intulit quaſi αἷμα διαθήκης *dixiſſet; Sic Matt: XXVIII. 19. cum præceſſit* ἔθνη *ſequitur* αὐτοὺς. *Similia ſunt, Vbi eſt ſcelus, qui me perdidit. Item, Curemus æquam uterq; partem, Tu alterum ego alterum*; apud Comicum.

OBJECT. I. *Omnes Scriptores ſacri Matthæus, Marcus, Lucas, Paulus, qui cœnam Dominicam nobis reliquerunt deſcriptam, nullo indicio docuerunt ullum ineſſe verbis adductis tropum, ſed propriam & literalem interpretationum omnes & ſinguli ad probarunt.*

Reſp. 1. Omnes in eo conſpirant, ut doceant tropum neceſſariò eſſe intelligendum in verbis Chriſti: Docent enim panem eſſe id quod frangitur & editur, & vinum ſive genimen vitis quod bibitur; Nequit autem panis eſſe corpus Chriſti & vinum ſanguis illius, ſuppoſito præſertim quod maneant panis & vinum, contra quam fingunt Pontificij, niſi tropicè & figuratè. 2. Docent omnes hunc panem comedi, hoc bibi poculum in Chriſti ἀνάμνησιν uſque dum veniat. 3. Quòd ſomniant adverſarij de indiſtanti præſentia corporis Chriſti *in*, *cum & ſub* pane, antea fuit ſufficienter profligatum.

OBJ. II. *Si Chriſtus tropicè locutus fuiſſet, dubio procul tropum iſtum Scriptores Sacri alibi oratione planâ explicuiſſent, quod ab ipſis factum eſſe demonſtrare non poſſunt adverſarij.*

Reſp. 1. Omnes tropi qui occurrunt in Scriptura, non explicantur alibi propriis verbis. 2. Ubi tropi per ſe facilè ex locis ſimilibus & ipſa rei natura intelliguntur, ulteriori explicatione opus non eſt. 3. Omnes Scriptores ſacros adverſari τῷ ῥητῷ Lutheranorum, ipſaque verba inſtitutionis, ſufficienter hactenus demonſtratum eſt.

OBJECT. III. *Quivis articulus fidei* κατὰ τὸ ῥητὸν *intelligendus eſt niſi vel in eodem loco, vel in alio, ubi res eadem tractatur, expreſſa*

preſſa ſit διάνοια; vel verba propriè intellecta in ἀναλογίαν fidei impingant.

Reſp. 1. τῷ ῥητῷ Lutharanorum repugnant non uno modo inſtitutionis verba, ut ante viſum. 2. Nec κατὰ τὸ ῥητὸν poteſt dici panis κοινωνία corporis Chriſti, aut poculum Novum Teſtamentum in ſanguine illius. 3. Ut in cœna non frangitur κατὰ τὸ ῥητὸν corpus Chriſti nec effunditur illius ſanguis, ſic nequit vel panis eſſe ſubſtantivè corpus illius, vel calix illius ſanguis. 4. Eidem ῥητῷ repugnat uſus Scripturæ, ſenſus communis, natura Sacramentorum, veritas corporis Chriſti, illius aſcenſio in cœlos &c. adeoque Analogia fidei non uno modo.

OBJECT. IV. *Non poſſunt certò ac ſolidè docere & demonſtrare adverſarij, ubi lateat tropus quem quærunt. Nam ſunt qui tropum collocent in verbo* EST; *ſunt qui in voce Corporis & Sanguinis, quaſi ponantur pro ſigno corporis & ſanguinis; ſunt qui in tota prædicatione.*

Reſp. 1. Id jam à nobis præſtitum eſt. 2. Subtilitatis eſt Grammaticæ oſtendere ſedem tropi, ſed ſoliditatis Theologicæ eſt, ſaltem tropicam loquutionem admittere. 3. Hæ tres ſententiæ non pugnant. Nam omnes conveniunt in eo quod prædicatio ſit tropica, quæ tertia dicitur eſſe: Priores duæ, variant ſolum quoad modum reſolutionis: Nam ſi hæc propoſitio, *Hoc eſt corpus meum*, reſolvatur per enunciationem ſecundi adjecti, tum illud *Eſt* ſumetur pro *ſignificat*, ut ſit ſenſus, *Hic panis ſignificat corpus meum*; Si verò reſolvatur per enunciationem tertij adjecti, in qua verbum *eſt* nihil aliud quam copulet, tum hic ſenſus proponetur, *Hic panis eſt ſignum corporis mei.* Annon res ita redit eodem?

Inſt. *At non ſignum corporis, ſed ipſum verum & proprium corpus pro nobis in mortem traditum eſt.*

Reſp. 1. Neque etiam ex noſtra ſententia ſequitur ſignum cor-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

poris Chriſto pro nobis in mortem traditum eſſe; ſed panem eſſe ſignum corporis pro nobis in mortem traditi; ſicut non panis eſt id quod pro nobis fractum eſt, ſed panis eſt ſignificativè corpus illud quod fractum fuit pro nobis. 2. Hoc abſurdo revera gravatur ſententia adverſaria, quod noſtrę falſò imputatur. Nam id quod ſignificatur pronomine, *hoc*, juxta illos eſt etiam panis, non ſolum corpus Chriſti: At id quod iſto pronomine ſignificatur fractum eſt & traditum in mortem pro nobis, ut iſtis placet; Ergò verum erit non corpus ſolum Chriſti, ſed etiam ipſum panem, quocum intimè conjunctum eſt, fractum & traditum fuiſſe in mortem pro nobis. Quod viderint iſti τȣ͂ ῥητȣ͂ vehementes patroni, quâ Rhetoricâ defendere vel excuſare poſſint.

QUæſt. III. *An manducatio Corporis Chriſti oralis quam urgent Lutherani, ſit manducatio Capernaitica?* Hujus quæſtionis affirmativam meritò defendimus, iiſque argumentis quæ nullâ ſolidâ exceptione diluuntur.

ARGUM. I. *Caro Chriſti cibus eſt ſpiritualis Ioh:VI,55.58. ac eapropter nonniſi ſpiritualiter percipitur.*

Except. I. *Corpus Chriſti vocatur cibus ſpiritualis, partim quia non eſt cibus vulgaris & naturalis quo corpora noſtra ad hanc vitam naturalem aluntur; partim quia corpus Chriſti non eſt corpus terrenum & ψυχικὸν, ſed πνευματικὸν & qualitatibus ſpirituale 1 Cor:XV,56. Matt:XXVI,28. partim denique quia modus perceptionis non eſt terrenus & naturalis, ſed ſupernaturalis & inexplicabilis.* R.1. Quid hîc faciat locus Matt:XXVI, 28. non videmus. 2. Cùm agnoſcat ipſemet Brochmannus *quod corpus Chriſti, Chriſto jam glorificato, non ſit ſubſtantiâ ſpirituale, oſſibus cute & carne non conſtans*, ut vellent Sociniani, non eſt quod hîc fuſé de ſpiritualitate corporis Chriſti diſputemus. 3. Cœna nos ducit non ad corpus Chriſti glorioſum, ſed ad corpus Chriſti ut fractum in morte pro nobis, & ad illius ſanguinem ut effuſum in remiſſionem peccatorum. 4. Eoipſo quod corpus Chriſti non ſit ejuſmodi cibus quo *corpora noſtra ad hanc vitam naturalem aluntur*, oraliter non eſt manducandum; quia cibus qui ore ſumitur, dentibus quoque teritur, & ad vitæ hujus animalis ſuſtentationem facit. 5. Quod ſi ore ſumatur corpus Chriſti, non poteſt non eſſe *modus perceptionis* terrenus & naturalis; aut ſi modus perceptionis fuerit *ſupernaturalis & inexplicabilis*, eo ipſo oralis dici non debet. 6. Si modus iſte eſt *inexplicabilis*, cur ergo illum explicaturi adverſarij dicunt percipi ore corpus Chriſti *in, cum & ſub* pane, cui per Conſubſtantiationem partim ex ſui Ubiquitate, partim ex Chriſti inſtitutione indiſtanter præſens ſit? 7. Vera ratio cur cibus ſit ſpiritualis, eſt quia *ſpiritualiter*, non *oraliter*, eſt ſumendus, non premendo dente, ſed credendo corde; ut pote qui non ad ventris ſed ad mentis nutritionem & animę ſalutem ordinetur;

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

prout aqua erat ſpiritualis quam promittebat Chriſtus Joh: iv,10. 8. Huc facit illud Auguſtini *in Pſ. 54.* & apud Gratianum *Can. Prima, diſt. 2. de Conſec. Spiritualiter intelligite quæ loquutus ſum: Non hoc corpus quod videtis manducaturi eſtis, & bibituri illum ſanguinem quem fuſuri ſunt qui me crucifigent; Sacramentum aliquod vobis commendavi; ſpiritualiter intellectum vivificabit vos.* 9. Cibus ſpiritualis quem Chriſtus nobis proponit in ſacra Cœna, ille ipſe eſt quem commendat ad vitam æternam Joh. 6. Is autem non ore ſed corde & fide eſt percipiendus. *Vt quid paras dentes & ventrem? Crede & manducaſti: credere enim in eum hoc eſt panem vinum manducare: Qui credit in eum manducat eum; Inviſibiliter ſaginatur, quia inviſibiliter renaſcitur.*

Except. 2. τὸ *Spirituale 1. generaliſſimè uſurpatur pro omni eo quod non eſt naturale & phyſicum, nec ſecundum regulas Logicas & Phyſicas dijudicari poteſt; Quo ſenſu manducationem corporis Chriſti Sacramentalem appellari poſſe ſpiritualem, noſtri Theologi non inviti concedunt. Nam manducatio corporis Chriſti neutiquam eſt phyſica manducatio, ſed myſtica & planè ſingularis ac omni parte inexplicabilis. 2. Spirituale id dicitur quod fit & peragitur ſolo ſpiritu & fide; quo ſenſu ſpiritualis manducatio eſt ſpiritualis illa participatio corporis Chriſti & beneficiorum morte Chriſti acquiſitorum quæ fit fide; quando nimirum credentes in ſpiritu incorporantur Servatori ſuo Chriſto per fidem, & ſpiritualia ejus fiunt membra. Quo ſenſu negamus Sacramentalem manducationem eſſe manducationem ſpiritualem, partim quia Sacramentalis manducatio etiam organo oris peragitur, & non ſolâ fide; partim quia indigni, fide penitus deſtituti, corpus Chriſti Sacramentaliter comedunt.* R. 1. Prior illa τοῦ *Spiritualis* acceptio, vix poſſet, uti hîc proponitur, ex uſu Scripturæ comprobari. 2. Nolim negare manducationem Sacramentalem, *ſpiritualem* hactenus poſſe dici, quoad uſum & finem ad quem ordinatur; at quoad modum quo peragitur, oralis eſt & ſenſibilis; unde Auguſtinus eam monet peragi *carnaliter & viſibiliter*; ut vel ideo perperam Sacramentalis manducatio opponatur *phyſicæ* & *naturali*: licet enim non ſit phyſica & naturalis manducatio corporis Chriſti, eſt tamen phyſica & naturalis manducatio illius panis qui eſt ſignum & Sacramentum corporis Chriſti. 3. Vitioſé ac

Sophiſticè

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Sophiſticè hæc duo confunduntur, manducatio *Sacramentalis* corporis Chriſti, & manducatio corporis Chriſti: Illa enim ore & dente, hæc fide & mente peragitur, etiam in ſalutari uſu Sacramenti. 4. Manducatio *myſtica* corporis Chriſti dici poteſt duplici ſenſu; Vel ut nihil aliud ſit quam manducatio Sacramentalis, prout myſterium & Sacramentum ſæpè pro eodem uſurpantur; unde Auguſtino panis dicitur vocari corpus Chriſti, non *rei veritate, ſed ſignificante myſterio*, & quod *in ſe Myſterium corporis* Domini contineat, ut ex Facundo ſuo loco notatum; unde in quæſtione Bertramo ſive Ratramno Corbeienſi propoſita à Rege Carolo Calvo ante 800. annos, *veritas* & *myſterium* opponuntur; Hoc ſenſu manducatio myſtica corporis Chriſti nihil aliud eſt quam manducatio oralis ejus panis qui vocatur corpus Chriſti, eo quod illud ſignificet; Vel ut *myſtica* dicatur intelligibilis & ſpiritualis carnis Chriſti manducatio, quæ ſolâ fide vivificâ peragitur, tam in Sacramento quem extra illud; *quando fides non quod oculis videt, ſed quod credit accipit; quoniam ſpiritualis eſt eſca, & ſpiritualis potus, ſpiritualiter animam paſcens, & æternæ ſatietatis vitam tribuens; ſicut ipſe Salvator myſterium hoc commendans loquitur, Spiritus eſt qui vivificat, nam Caro nihil prodeſt*, ut monet Bertramus in opuſculi ſui concluſione. 5. Si manducatio corporis Chriſti non eſt *phyſica*, ore non peragitur: eſtque alterius ordinis quam manducatio panis in Euchariſtia: hanc enim phyſicam eſſe nemo negaverit qui negat Tranſubſtantiationem. 6. Mirum eſt eam manducationem carnis Chriſti in Euchariſtia proponi ab Adverſariis, quæ licet ſit *planè ſingularis ac omni parte inèxplicabilis*, dicatur tamen ab ipſis ore peragi, *in, cum & ſub* pane, adeoque eodem modo quo ipſe panis: Nam ita loqui quid aliud eſt quam velle explicare, id quod ipſi inexplicabile ſtatuunt? 7. Ut largimur diſtinguendam ſpiritualem Chriſti manducationem, prout ea benè explicatur à Clar. Brochmanno, à Sacramentali, quæ *organo oris peragitur*, imò ſolo, niſi unà ſpiritualis adſit quæ *ſolâ fide* fit, ſic negamus ab indignis in Sacramenti uſu corpus Chriſti aliter manducari, quam prout ſumunt & comedunt panem qui eſt ſignum & Sacramentum corporis iſtius. Nam quod benè monet Lombardus de Baptiſmo,

 diſt. 4.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

diſt.4. lib.4. Sent. habet quoque locum in Cœna, videlicet alios ſuſcipere *Sacramentum & rem*, alios *Sacramentum & non rem*, alios *rem & non Sacramentum.* Siquidem triplex manducatio corporis Chriſti poteſt ac debet aſſignari; Alia merè ſpiritualis extra uſum Sacramenti: in qua nullius rei manducatio oralis & ſenſibilis intervenit, ſed tantũ auditus verbi Divini. Alia ſimul ſpiritualis & Sacramentalis in uſu legitimo Euchariſtiæ, cum ore panis ſumitur, ceu ſignum & Sacramentum corporis Chriſti; corde vero & fide ipſe Chriſtus apprehenditur in pabulum vitæ æternę. Alia deniq; merè Sacramentalis indignè accedentium, qui cum ſint *fide penitus deſtituti*, ſibi edunt & bibunt ſuum judicium, non comedentes eum panem qui Dominus eſt, ſed tantum panem Domini contra Dominum. 8. Denique cum aliquid amplius percipiant veri fideles in Sacra Cœna quam *indigni fide penitùs deſtituti*, non poteſt hoc diſcrimen aliud eſſe, quam quod illi cum ſignis rem ſignatam fide percipiunt, hi vero re ſignatâ non fruuntur; prout in Baptiſmo, *qui ſine fide vel fictè, accedunt Sacramentum non rem, non Spiritum ſed aquam* meram, *ſuſcipiunt*, ut ex Hieronymo docet Lombardus.

ARGUM. II. *Corpus & ſanguis Chriſti in verbo promiſſionis offeruntur, ac idcirco nonniſi fide accipiuntur, ſiquidem hac accipiuntur divinæ promiſſiones.*

Except. 1. *Verba hac*, Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum, *non promiſſionis, ſed mandati verba ſunt.* R. 1. Continent tamen promiſſionem de Chriſti corpore exhibendo in pabulum vitę, dignè communicantibus. 2. Verbum quod additur Elemento ut fiat Sacramentum, non modò eſt inſtitutivum & præceptivum, ſed etiam promiſſivum.

Except. 2. *Promiſſio & aure externâ & fide accipitur.* R. 1. Non omnes qui aure audiunt verba promiſſionis Euangelicę, promiſſionem illam ſuſcipere ſunt cenſendi, ſed illi demum qui credunt Euangelio, ac inſtar Berœenſium, *recipiunt ſermonem cum omni alacritate* Act: XVII, 11. & ſermonem auditum excipiunt, non ut *ſermonem hominum, ſed ſicut eſt verè ut Dei ſermonem, qui etiam agit in iis qui*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

iis qui credunt 1 Theſſ: II, 13. 2. Ut in verbo quod auditur, ſonus quidem & voces annunciantis aure percipiuntur, ſed mente & fide verborum ſenſus & res verbis ſignificatæ; ita in Sacra Cœna, ore ſumuntur ſigna & ſymbola corporis & ſanguinis Chriſti, ſed res ſignata fide tantum & mente: Unde fit ut ſicut auditio externa verbi Divini ſonus eſt inanis, percellens aures eorum qui animum non intendunt, nec fidem adhibent, & teſte Paulo Heb: IV, 2. non prodeſt *auditus ſermo* ubi *fide contemperatus non fuerit apud illos qui audiunt*, ita nihil præter inane ſignum corporis Chriſti percipiant in Euchariſtia qui ad Domini menſam accedunt ficté & ſine fide.

Except. 3. *Eſto promiſſio fide accipiatur, non item ſemper res promiſſa: Liquet hoc exemplo Apoſtolorum, qui promiſſionem de obtinendo Spiritu Sancto, exceperunt fide, rem autem promiſſam ipſo etiam corpore; nam Spiritus Sanctus, in Apoſtolis viſibili formâ ignitarum linguarum conſpiciebatur Act: II, I. & ſeqq.* R. 1. Hoc ſimile eſt valdè diſſimile, etiam in Schola Adverſariorum; nec enim dixerit Brochmannus, rem promiſſam in Cœna, nempe corpus Chriſti, *viſibili formâ* conſpici, vel exhiberi. 2. Ut igneæ illæ linguę non erant ſubſtantialiter ipſemet Spiritus Sanctus, qui eſt incorporeus & inviſibilis, ſed tantum Symbola & ſigna ſenſibilia, à Deo per miraculum producta, eorum Chariſmatum quæ Spiritus Sanctus in animo & mente Apoſtolorum excitabat; ita panis in Cœna non eſt ſubſtantialiter corpus Chriſti, ſed ſignum & ſymbolum ſenſibile illius, quo ſignificatur quid caro Chriſti per Spiritum Sanctum mentibus noſtris applicata valeat & operetur. 3. Res promiſſa Apoſtolis non recipiebatur *corpore*; cùm linguæ illæ Symbolicę nonniſi ad momentum ſuper illis quieverint; nec eorum carni ſed ad ſummum veſtibus adhæſerint; nec illæ fuerint res promiſſa, ſed tantum ſigna & ſymbola rei promiſſę, quę ſpectabat ad mentem & animum. 4. Etſi res promiſſa corpori & in illius uſum, corpore etiam recipiatur, tamen corpore non debet accipi res promiſſa menti, & quæ ad animam pertinet non ad corpus.

Except. 4. *Res promiſſa eo modo & medio accipi debet, quo is qui promittit*

mittit jubet; Chriſtus autem in ſacræ Cœnæ inſtitutione mandat edendo, non autem credendo accipi corpus ſuum. R. 1. Hinc ſequeretur indignè communicantes, ſatisfacere tamen mandato Chriſti in Cœna, ſi tantum *edendo, non autem credendo*, debet accipi in cœna corpus illius. 2. Imò juxta hanc exceptionem ne quidem fideles tenerentur ad manducationem Sacramentalem adjicere ſpiritualem, quod valde abſurdum eſt. 3. Chriſtus ita mandat in Cœna edi oraliter panem qui ſignificat corpus ſuum, ut unà debeat edi ſpiritualiter caro ſua in alimentum vitæ ſpiritualis & æternæ; Debet enim in pane qui ore comeditur, non tam attendi quid ſit, quam quid ſignificet. 4. Eſt quidem panis ſacræ Cœnę ejuſque comeſtio oralis, *medium* externum quo Chriſtus offert & exhibet credentibus ſuum corpus ſpiritualiter manducandum, prout externa prædicatio verbi ejuſq; auditio ſenſibilis eſt etiam medium quo nobis offert carnem ſuam ſpiritualiter manducandam; ſed tamen utrobique, ideſt tam in prædicatione verbi quam in uſu Sacramenti, res ipſa promiſſa non *alio modo* quam fide recipitur. 4. Chriſtus nuſquam jubet edi & accipi oraliter ſubſtantiam corporis ſui; ſed ſolum jubet ut *aure* audiri ſonum verbi divini, quo fide res eo promiſſa percipiatur, ita *ore edi* panem qui eſt Sacramentum corporis ſui, quo per oralem illam panis comeſtionem deducamur ad ſpiritualem manducationem carnis ſuę, quam *ſolâ fide* peragi & *ſemper* eſſe *ſalutarem*, ipſe Brochmannus *ſect. 4. de Cœna*, conceptis verbis agnoſcit. Quis verò dubitet ſacram cœnam ordinari ad eam manducationem carnis Chriſti, quæ ſalutaris eſt ac fide peragitur?

ARG. III. *Nulla planè eſt proportio corporis Chriſti, quippe verâ quantitate præditi, ad os noſtrum: Oportet verò ut ſit proportio inter id quod recipit & quod recipitur.*

Except. 1. *Hinc ſequetur falſa eſſe omnia quæ in literis ſacris memorantur de unione perſonali, idq; quod inter humanam & divinam Chriſti naturam nulla ſit proportio.* R. 1. Id potiùs abſurdi ſequetur ex iſta exceptione, ſi valeat, quod eadem ſit unio corporis Chriſti cum ore noſtro, quæ eſt naturarum duarum in perſona Chriſti.

2. Quan-

2. Quando una res corporea rem aliam corpoream & quantam debet ſubſtantialiter & indiſtanter recipere, non debet quod recipitur majus eſſe recepto. Jam verò, juxta hypotheſim Adverſariorum, in orali manducatione corporis Chriſti res eſt corporea & quanta utraque, & recipiens & recepta: Secus vero ſe habent duæ naturę in Chriſto; Divina enim nec corporea eſt, nec quanta, nec extenſa; adeoque ejus unio hypoſtatica cum carne aſſumpta perperam hîc urgetur.

Except. 2. *Hinc item ſequetur fidem potius habendam eſſe rationi humanæ oppugnanti manducationem corporis Chriſti ſubſtantialem è principiis phyſicis & proprietatibus naturalibus corporis humani, quam Chriſto veraciſſimo & omnipotenti, qui jubet ut unà cum pane in Sacra* Cœna *corpus ipſius edamus. Ejuſmodi ergo argutiis opponantur, hæc Spiritus Dei effata, Luc: 1, 37.* Apud Deum non eſt impoſſibile ullum verbum; *Rom: IV, 21.* Plane perſuaſum habuit (*Abraham*) poſſe Deum id quod promiſerat præſtare, *quamvis naturæ contrarium & communem ordinem longiſſimè excederet.* R. 1. Non tam quæritur inter nos de potentia Dei, quam admittimus, quam de ipſius voluntate, quam hîc non videmus. 2. Potentia Dei non eſt extendenda ad ea quæ implicant evidentem contradictionem, ut in rebus corporeis minus & anguſtius eſſe continens contento. 3. Cùm proprietates naturales corporis humani, conveniant quoque inſeparabiliter corpori Chriſti, quod verè corpus humanum eſt, hujus oralis manducatio non eſt ſtatuenda, ſiquidem repugnat *proprietatibus naturalibus corporis humani.* 4. Jubet Chriſtus ut *unà cum pane in ſacra Cœna corpus ipſius edamus*; ſed non jubet ut unà cum pane ſuum corpus edamus oraliter. Nec enim jubet ſuum corpus à nobis edi in cœna, niſi quatenus ejus manducatio eſt ſalutaris. Salutaris vero manducatio corporis Chriſti, quà talis, ſpiritualis eſt ſolaque fide peragitur.

ARG. IV. *Homo conſtat corpore & anima; illi paſcendo ſerviunt panis & vinum; huic autem nutriendæ deſtinata ſunt corpus & ſanguis Domini.*

Except. 1.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Except. 1. *Corpus & ſanguinem Domini in Sacra Cœna nutrimentum eſſe ſolius animæ negarunt optimi Patres, & inter eos Irenæus, contendens lib.5. cap.4. reſtaurari corpora noſtra per hunc cibum ad vitam æternam. Et quis quæſo dubitare poteſt quin caro Chriſti dignè in hoc Sacramento ſumpta, noſtra membra cum Chriſto arctiſſimè conjungat Ioh:VI,56. eaque faciat arma juſtitiæ Deo Rom:VI,12.13. atque à corruptione tandem vindicet?* R. 1. Corpus & ſanguis Domini, etiam juxta hanc exceptionem, non proſunt corpori, niſi per prius ſint animæ alimentum; At non fiunt alimentum animæ, niſi ſpiritualiter & fide percipiantur, ſive in Sacramento ſive extra illud. 2. Corpus Chriſti ore ſumitur, ex hac hypotheſi, ut nutrit etiam corpus: Atqui non nutrit corpus in Cœna niſi *dignè* ſumatur; Ergo nonniſi à *dignè* communicantibus ore ſumitur: quod nollent Lutherani. 3. Etſi caro Chriſti fide & ſpiritualiter manducata, de ea enim manducatione agi Joh.6. convenit inter nos, proſit ad ſalutem animæ & corporis, tamen non nutrit corpus, eo modo & genere alimenti, per aſſimilationem, quo panis qui ore ſumitur, & per ventrem abit in ſeceſſum. 4. Verba Irenæi, quę reſpicere videtur Brochmannus, extantq́; non *lib.5.c.34.* ſed *lib.4. c.34.* iſta ſunt; *Quomodo rurſus dicunt carnem in corruptionem devenire, & non percipere vitam,* (per reſurrectionem glorioſam) *quæ à Corpore Domini & ſanguine alitur?* Sed in illis nihil eſt præſidij pro ſententia adverſarij; Nam caro noſtra alitur corpore & ſanguine Domini, non oraliter ſumptis, ſed ſpiritualiter & fide: Solâ enim manducatione ſpirituali carnis Chriſti caro noſtra percipit vitam & à corruptione vindicatur. Adhæc Irenæus *ibidem*, dicit Euchariſtiam *duabus rebus* conſtare, *terrenâ & cœleſti*; Jam autem *corpora noſtra percipientia Euchariſtiam*, illi dicuntur *non amplius eſſe corruptibilia*, ſed *ſpem reſurrectionis habentia*, non per id quod terrenum eſt in Euchariſtia, & ore ſumptum abit in ſeceſſum, ſed per id quod in illa cœleſte eſt, & fide percipitur ad ſalutem. Huc faciunt verba Origenis *ad Matt:XV,11. Quod ſi quicquid ingreditur in os, in ventrem abit, & in ſeceſſum ejicitur, & ille cibus qui ſanctificatur per verbum Dei perque obſecrationem, juxta id quod habet materiale* (& ore ſumitur) *in ventrem abit & in ſeceſſum rejicitur; caterùm juxta precationem quæ illi acceſſit,*

proportione

proportione fidei ſit utilis, efficiens ut perſpicax fiat animus ſpectans ad id quod utile eſt.

Except. 2. *Etiam Verbum Dei pabulum animæ eſt, & ſemen immortale 1 Pet:1,23. & tamen corporeo aurium organo percipitur Rom:x,17. Pari etiam ratione caro & ſanguis Chriſti, quanquam pabulum ſint quo cibamur ad vitam æternam, tamen percipiuntur organo corporeo, videlicet ore. Hæc enim ſunt verba inſtitutionis Chriſti,* Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum. R. 1. Placet nobis hoc ſimile: Nam ut Verbum Dei non cibat niſi fide percipiatur, ita nec corpus Chriſti nutrit aut cibat, niſi acceptum fide. 2. Sonus ſenſibilis verbi divini aure percipitur, ſed vis ejus nutritiva & vivifica, pendet ex interna efficacia Spiritus Sancti in anima noſtra operantis: ita ſignum ſenſibile corporis Chriſti percipitur ore in Cœna; Id vero quod cibat nos ad vitam æternam per Spiritum Sanctum applicatur menti fidelium. 3. Verba inſtitutionis Chriſti nolunt ore ſumendam eſſe ſubſtantiam corporis Chriſti, ſed ſumendum ore panem qui ſignificat corpus illud quo ſpiritualiter & per fidem manducato, cibantur animæ noſtræ ad vitam æternam. Sic etiam loquitur Cyprianus, ſive quiſquis eſt Author apud eum *Sermonis de Cœna Domini. Potus & eſus ad eandem pertinent rationem, quibus ſicut corporea nutritur ſubſtantia & vivit & incolumis perſeverat, ita vita ſpiritus hoc proprio alimento nutritur; & quod eſt eſca carni, hoc animæ eſt fides; quod cibus corpori, hoc verbum ſpiritui; excellentiori virtute peragens æternaliter quod agunt alimenta carnalia temporaliter & finaliter. Celebrantes Sacramenta commonemur, quaſi ungulam findens & ruminans pecus, revocare ad fauces & minutatim commolere Dominicæ inſtitutionis exemplum, ut ſemper paſſio ſit in memoria, nec terreant crucifixi hæredes mortis ſupplicia, ſed paſcant & reficiant maturatæ reſurrectionis lætabunda ſolemnia.*

ARGUM. V. *Eadem eſt ratio manducationis Chriſti in Cœna quæ eſt unionis* noſtræ cum ipſo: *hæc autem eſt ſpiritualis.*

Except. *Tantum abeſt individuo nexu cohæreant Sacramentalis corporis Chriſti manducatio & unio cum Chriſto ſpiritualis, ut Paulus diſertè*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

ſertè dicat inveniri qui in hoc Sacramento indignè edant corpus Domini, & quidem in judicium & damnationem 1 Cor:XI, 27. 29. R. 1. Agnoſcit D. Brochmannus, unionem noſtram cum Chriſto eſſe *ſpiritualem*. Unde ſequitur ipſam realem κοινωνίαν cum Chriſto, ut Sacramento obſignatur, ſpiritualem etiam eſſe; quod tamen negantem Brochmannum audivimus *in 1. quæſt. ad arg. 12. except. 3.* 2. Id quoque debet agnoſcere, ad eam unionem ordinari hoc Sacramentum, adeoque manducationem carnis Chriſti in illo ſpiritualem eſſe debere, ex qua hæc unio ſpiritualis reſultet. 3. Fateor non cohærere merè Sacramentalem manducationem corporis Chriſti cum illius unione; quoniam in illa manducatione Sacramentum ſuſcipitur ſine re Sacramenti, ſignum nudum abſque re ſignata: Sed argumentum noſtrum eſt non de mera manducatione panis ſacramentalis in Cœna, ſed de manducatione carnis Chriſti præter panem; quæ tam abſurdè negaretur ſecum trahere *unionem* cum Chriſto, quam perperam revocaretur in dubium quod ipſe ore ſuo ſacratiſſimo pronunciat Joh. VI, 56. *Qui edit meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo; Vt ſciremus*, inquit Author apud Cyprianum *ſerm. de Cœna Dom.* modò citatus, *quod manſio noſtra in ipſo ſit manducatio, & potus quaſi quædam incorporatio, ſubjectis obſequiis, voluntatibus junctis, affectibus unitis.* Videatur & Auguſtinus apud Gratianum, *Can. Quid eſt. diſt. 2. de Conſ.* 4. Paulus non dicit *inveniri qui in hoc Sacramento indignè edant corpus Domini*; nec enim indignè poteſt edi illud corpus ex cujus eſu omnis noſtra dignitas & vita pendet; *Qui manducant & bibunt Chriſtum vitam manducant & bibunt; Illum manducare eſt refici, illum bibere eſt vivere*, inquit Auguſtinus *ſerm. 2. de verbis Apoſt.* Sed dicit Paulus inveniri, qui indignè manducent ex hoc pane & bibant ex hoc calice; adeoq; hæc ſacra ſigna ſumant in ſuum judicium; Qui autem talis eſt dicitur reus corporis & ſanguinis Chriſti, *quia*, inquit Hieronymus, *tanti myſterij Sacramentum pro vili deſpexerit*, prout reus eſt læzę majeſtatis Regiæ, qui ſigillum Regium laceraverit, aut in Regis imaginem contumelioſus fuerit. Idem ſtatuitur non diſcernere corpus Domini, quia tantæ rei Sacramentum *non diſcernit à cœteris cibis, veneratione ſingulariter debitâ*, ut loquitur Auguſtinus

Auguſtinus

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

guſtinus *ad Ianuar. epiſt.118. Vtens* videlicet *Sacramento*, ut Græcus Scholiaſtes explicat, *tanquam promiſcuo & indifferenti cibo.* Ita qui fictè & ſine fide accedit ad Baptiſmum, aut ullo modo illum violat, dicitur à Paulo Heb:x,39. *Filium Dei conculcare, & ſanguinem fœderis per quem fuerat ſanctificatus profanum ducere, & Spiritum gratiæ contumeliâ afficere.*

ARGUM. VI. *Chriſtus ipſe rejicit Ioh: vi, 63. oralem corporis ſui manducationem.*

Except. *Capernaitæ volebant 1. Carnem Chriſti eſſe puri puti hominis carnem: 2. Naturali & vulgari modo comedendam, eo planè modo quo aliæ comeduntur carnes: 3. Comeſtione abſumendam. Quæ abſurda ſunt & à Sacramentali manducatione diverſa.* R. 1. De loco Joh: vi, 63. jam dictum fuit ad primam quæſtionem. 2. Capernaitæ ſumebant verba Chriſti de orali manducatione carnis ipſius, nihil de ea abſumenda necne cogitantes: Jam autem adverſarij pugnant pro manducatione orali; ergo pro manducatiotione Capernaitica. 3. Ad hanc propugnandam nihil facit quod Chriſtus non ſit purus homo: Nam ipſius caro eſt caro pura puta humana, ejuſdem ordinis & ſubſtantiæ cum noſtra; ut ſemper Anthropofagus debeat fieri qui eam oraliter comederit. 4. Quin abſurditatem auget quod Chriſtus ſit Deus; ſummæ enim ſtoliditatis eſſe id adorare, aut Deum ſtatuere, quod comeditur, jam olim monuit Theodoretus *quæſt. 55. in Geneſ. & quæſt.11. in Levit.* 5. Quicquid ore verè comeditur, id *naturali & vulgari* modo comeditur, & eo plane modo quo alij cibi. 6. Cum velint adverſarij unà cum pane edi oraliter corpus Chriſti, haud abſimili modo illigatum illi pani, quo Manichæi ſtatuebant Chriſtum eſcis ordinariis illigatum ſibi apponi quotidie, non videmus quî naturalis & ordinaria non ſit manducatio corporis Chriſti, quę iiſdem organis corporeis peragitur cum manducatione panis, quæ naturalis eſt & vulgaris: eò magis quod eadem vocula *Edite*, utriuſq; manducatio ore peragenda, juxta hos, præcipiatur. 7. An crederent nec ne Capernaitæ carnem Chriſti *comeſtione* abſumendam parum refert; cùm revera abſumatur & in ſeceſſum abeat,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

quicquid ore comeditur. Hinc oralem Chriſti manducationem in cum & ſub cibis ſuis quotidianis, huic Lutheranæ haud abſimilem, quam Manichæi ſomniabant, his verbis rejiciebat Auguſtinus *lib. 20. contra. Fauſt. cap. 13. Vobis per fabulam veſtram in eſcis omnibus Chriſtus ligatus apponitur, adhuc ligandus veſtris viſceribus ſolvenduſque ructatibus; Nam & cum manducatis, Dei veſtri defectione vos reficitis; & cum digeritis illius refectione deficitis.* 8. Quod oppoſuit Chriſtus Capernaitis, oralem ſui comeſtionem commendari ab ipſo ſomniantibus, opponi poteſt pariter orali manducationi Pontificiorum & Lutheranorum; Id autem malim ex paraphraſi Auguſtini promere *tract. 27. in Ioh. Quia dixi, carnem meam do vobis manducare, & ſanguinem meum bibere, hoc vos nempe ſcandalizat.* Si ergo videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius? *Quid eſt hoc? Hinc ſolvit illud quod non noverant; hinc aperuit unde fuerant ſcandalizati; hinc planè ſi intelligerent. Illi enim putabant eum erogaturum corpus ſuum; ille autem dicit, ſe aſcenſurum in cœlum, utique integrum. Cum videritis Filium hominis aſcendentem ubi erat prius, certè vel tunc videbitis quia non eo modo quo putatis erogat corpus ſuum, certè vel tunc intelligetis quia gratia ejus non conſumitur morſibus:* Item, *Spiritus eſt qui vivificat, caro autem non prodeſt quicquam: Verba quæ ego locutus ſum vobis Spiritus & vita ſunt. Quid eſt Spiritus & vita ſunt? Spiritualiter intelligenda ſunt. Intellexiſti ſpiritualiter? Spiritus & vita ſunt. Intellexiſti carnaliter? Etiam ſic illa Spiritus & vita ſunt, ſed tibi non ſunt.*

ARG. VII. *Non aliter ſimus participes Chriſti in Sacramentis quam in Euangelio. Hæc autem participatio non fit ore, ſed fide.*

Except. *Non eſt par ratio participationis Chriſti in Euangelio & in Cœnæ Sacramento. Nam in Euangelio ordinarium medium, ſed externum, eſt auditus verbi externus Rom: x, 17. At in Sacramento Cœnæ externum medium eſt manducatio & bibitio juxta verba inſtitutionis Cœnæ & monitionem Pauli 1 Cor: x, 16.* R. 1. Non ſatis convenit ſecum D. Brochmannus, qui ſupra *ad arg. 4.* vehementer ſatis urgebat paritatem inter Verbum & Sacramenta. 2. Agnoſcimus multiplex diſcrimen inter Verbum & Sacramenta, hoc nominatim quod illud

ſolo

ſolo auditu, hæc etiam aliis ſenſibus percipiantur; Sed etſi ſit diverſitas inter media externa, modus tamen ac inſtrumentum internum participandi Chriſti & in ejus communionem ſalutarem deveniendi, utrobique idem eſt, nempe fides. 3. Aure ſonum ſenſibilem verbi percipimus, mente & fide ſenſum & promiſſiones illius; ore pariliter in Cœna recipimus panem & vinum, quæ porriguntur à Miniſtro, mente & fide in nutritionem vitæ æternę corpus & ſanguinem, quæ ipſe immediatè ſubminiſtrat. Sic in baptiſmo lotio fit extrinſecè aquâ per Miniſtrum, intrinſecè ſanguine Chriſti & Spiritu ſanctificationis, qui immediatè eſt ab ipſo, juxta dictum Baptiſtæ Matt: III, 11. 4. Quid quod etiam in baptiſmo veſcimur carne & ſanguine Chriſti, citra ullam oralem manducationem, juxta id quod ex Auguſtino citatur à Beda *ad cap.10. 1 Cor.* & refertur *Can. Quia paſſus. diſt.2. de Conſec. Nulli eſt aliquatenus ambigendum tunc unum quemque fidelium corporis & ſanguinis Dominici fieri participem, quando in baptiſmate membrum efficitur Chriſti; Nec alienari ab illius panis calicisque conſortio, etiamſi antequam panem illum comedat & calicem bibat de hoc ſæculo in unitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat.*

ARG. VIII. *Quicquid per os ingreditur ſecedit in ventrem Matt: xv,17. nec quicquam facit ad vitam ſpiritualem.*

Except. *Blaſphemè conferuntur cibi naturales & vulgares de quibus agit Chriſtus Matt:xv,17. cum vivifica filij Dei carne, quæ pro mundi vita data eſt Ioh:vi,56.57.ſeq.1. Ioh:1,8. Heb:vi,14. Act:xx,28.* R. 1. Non conferimus cibos naturales cum vivifica carne Chriſti, ſed ex axiomate Chriſti veriſſimo refutamus carnis Chriſti oralem manducationem. 2. Caro Chriſti eſt vivifica, non ore ſumpta, *in, cum & ſub* pane, ſed fide & corde. 3. Merito Veteribus dicti ſunt *Stercoraniſtæ*, qui oralem carnis Chriſti in Cœna manducationem finxerunt. 4. Suprà *ad exc.1. arg.4.* ex Origene oſtendimus etiam dictum Chriſti convenire ei rei quæ ore percipitur in Euchariſtia; quod & obſervatum à Sixto Senenſi *Bibl. Sanctæ, lib.6. annot.66.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

ARGUM. IX. *Oralis manducatio neceſſariò importat corporis Chriſti per dentes lanienam.*

Except. I. *Conceditur, ſi corporis Chriſti manducatio eſſet phyſica; at caro Chriſti, quæ Dei ipſius caro eſt & verè vivifica Ioh:VI,56.57. à nobis in Sacramento cœnæ, non naturali, ſed imperſcrutabili modo comeditur, ut-ut ore ipſo accipiatur.* R. I. Manducationem hanc ore fieri, & tamen phyſicam & naturalem non eſſe, abſurdiſſimum eſt. 2. Quod oraliter edendum tradebat Chriſtus in cœna, manducatione naturali debuit comedi: Id cùm non queant negare adverſarij de pane, cur negant de corpore Chriſti? 3. Unam voculam *Edite* ad unicam oralem manducationem ſpectantem, duas tamen manducationes orales toto genere diverſas connotare, alteram naturalem & phyſicam panis, alteram *in, cum & ſub* pane non naturalem ſed imperſcrutabilem corporis Chriſti, fingi non debet ab iis qui nullum tropum in verbis Chriſti volunt admittere. 4. Ore ſumi carnem Chriſti in Euchariſtia, ſupponitur falſò. 5. Nihil facit ad hoc figmentum quod caro Chriſti ſit caro Dei & verè vivifica: Nam eſt nihilominus vera caro, quæ ore deglutienda venit unà cum pane, ut volunt iſti homines. 6. Caro Chriſti locis citatis Brochmanno, *vivifica* non dicitur, nec talis eſt ore ſuſcepta, ſed per Spiritum qui vivificat, (cum caro non proſit quicquam) mentibus fidelium applicata in nutritionem vitę æternę. 7. Agi toto cap. 6. Joh. de manducatione carnis ſpirituali, non orali, agnoſcunt Adverſarij, adeoq; fruſtrà ex illo capite ſe quærere elogia carnis Chriſti ad ejus oralem manducationem adſtruendam.

Except. 2. *Et dicant adverſarij qua veritate negent manducationem veram corporis Chriſti veri cibi Ioh:VI,55. quod manducationis modus ignoretur, nec ad conſuetas naturæ leges quadret? Eodem argumento negaveris generationem filij Dei, unionem perſonalem, Chriſti è virgine nativitatem, & innumera alia, quod ab ordinaria naturæ lege quam maximè deflectant.* R. I. Veram manducationem Chriſti admittimus, ſed ſpiritualem & qualem præſcribit Joh. 6. non oralem. 2. Si manducationis iſtius *modus ignoratur*, cur ergo definitur eam ore, *in, cum & ſub* pane, eademque manducatione quâ ipſe panis, fieri? Modus enim

quo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

quo manducatur panis in Euchariſtia obvius eſt & cognitus. 3. Myſteria quæ hîc proferuntur generationis æternę, nativitatis ex virgine, unionis perſonalis, ſunt expreſſè & perſpicuè fundata in Scripturis; manducatio oralis carnis Chriſti neutiquam.

ARGUM. X. *Oralis manducatio inutilis eſt.*

Except. *Hoc argumentum ſolidè pariter & piè ſolvit Lutherus, dum reſpondet,* Sufficere nudum mandatum Chriſti ſine expreſſa aliqua mentione fructus & utilitatis. *Nam quis adeo iniquus eſt in Chriſtum dicere ut velit quod aliquid inſtituat quod ſit otioſum? Quid? Si alius non eſt fructus oralis manducationis, hic ſane eſt uberrimus,* Vos amici mei eritis ſi feceritis quæcunque ego præcipio vobis *Ioh:xv,14.* R. 1. Benè eſt quod nullum fructum, nullum uſum, agnoſcat Brochmannus redire ex orali hac manducatione. 2. Mandatum hic fingere potuit Lutherus, ut ſuę ſerviret hypotheſi; ſed illud nuſquam & nunquam potuit demonſtrare. 3. Quod hîc mandatur à Chriſto reſpectu corporis ſui, debet ordinari ad ipſius κοινωνίαν, per quam habitet in nobis, nos in ipſo; Id autem fit non orali, ſed ſpirituali manducatione carnis ſuæ. Quare non dubium eſt quin Chriſtus mandet nobis in Sacra Cœna ſpiritualem ſui manducationem per fidem. Ad hanc enim debet eſſe inſtitutum & ordinatum hoc Sacramentum, quę ſola eſt ſalutaris & proficua. 4. Quod ſi mandato Chriſti paret qui oraliter comedit ejus carnem, non minus obſequentur ei indigni quam digni communicantes; nam dignitas vel indignitas communicantium, nihil facit ad hujus mandati obſequium.

OBJECT. I. *Oralis Chriſti manducatio non adſtruit Capernaiticam corporis Chriſti lanienam damnatam à Chriſto Ioh:vi,59. & ſeqq.*

Reſp. 1. Contrarium evicimus ſuperioribus argumentis. 2. *Laniena* corporis Chriſti toto cap. 6. Johannis nulla fit mentio. 3. Satis eſt quod oralem ſuæ carnis manducationem rejiciat Chriſtus, ut ei ſubſtituat ſpiritualem, quam & nos admittimus.

OBJ. II.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

OBJ. II. *Triplici modo diſtinguitur manducatio ſpiritualis à Sacramentali. 1. Manducatio ſpiritualis peragitur ſolâ fide, nam nihil aliud eſt quam credere; manducatio autem Sacramentalis requirit externum oris organon. 2. Manducatio ſpiritualis extra Sacramenti cœnæ uſum habet locum, nam fides eſt ex auditu Rom: x, 14. Sacramentalis autem ad Sacramentum cœnæ præciſé reſtricta eſt. 3. Manducatio ſpiritualis ſemper eſt ſalutaris & adeo neceſſaria ut ſine ea non obtineatur vita æterna Ioh: vi, 53. 54.56. At Sacramentalis manducatio etiam cum damnatione conſiſtere poteſt 1 Cor: xi, 29. neque omnes obligat, ſed ſolos illos qui ſe ipſos probare poſſunt 1 Cor: xi, 28.*

Reſp. 1. Hoc diſcrimen utriuſque manducationis utroque pollice laudamus, adeoq; hîc nihil eſt quod nobis adverſetur. 2. Licet Spiritualis manducatio habeat locum etiam extra Cœnæ uſum, tamen negari nequit eam requiri quoque ad uſum ſalutarem ſacræ Cœnæ & hoc Sacramentum ad illam ordinari. 3. Merè Sacramentalis manducatio, non infert oralem manducationem carnis Chriſti, ſed ſolius illius panis qui frangitur & diſtribuitur, ceu corporis Chriſti ſignum & Sacramentum, & quod rei ſignatæ propterea nomen accipit. 4. Sacramentalis fuit manducatio Patrum in deſerto 1 Cor:x,34. quæ oralem carnis Chriſti nondum phyſicè exiſtentis manducationem non involvebat.

OBJ. III. *Quivis qui ore ſumit panem benedictum unà accipit illud ipſum corpus quod pro genere humano in mortem traditum eſt, & qui ore haurit benedictum poculum unà bibit illum ipſum ſanguinem qui in ara crucis effuſus eſt.*

Reſp. 1. Panis & poculum ſymbola ſunt illius coporis & ſanguinis Chriſti, quæ adeo in pane & vino ſymbolicè & ſignificativè ſumuntur; ſed ore ipſum corpus & ſanguinem ſumi, eſt falſiſſimum. 2. Fidelis & dignè communicans unà cum pane & poculo, ſumit corpus & ſanguinem Chriſti; ſed illa ore, hæc fide & mente. 3. Cum nondum fuiſſet *effuſus in ara crucis* ſanguis Chriſti, in prima Cœna non potuit oraliter ebibi ex poculo, prout nec oraliter

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

oraliter bibebatur in deſerto ab iis qui bibebant ex Petra ſpirituali quæ erat Chriſtus 1 Cor: x, 4.

OBJ. IV. *Euangeliſtæ & Paulus ita conjungunt panem & corpus Domini, vinum & ſanguinem Domini, ut pane accepto & quidem ore, unà corpus Domini accipi, & hauſto vino ore, ſanguinem bibi, diſertè dicant. Chriſtus namq; panem exhibens, Diſcipulis dixit,* Accipite, manducate, Hoc eſt corpus meum; *& vinum præbens ac porrigens, dixit* Accipite, bibite; Eſt ſanguis meus Novi Teſtamenti; *Vbi traduntur non duo diſtincta organa manducationis & bibitionis, unum oris quo panis & vinum, alterum fidei, quo corpus & ſanguis Chriſti percipiatur; ſed unicum nominatur organon, nempe os corporis, quo utraq; Sacramenti pars accipiatur. Quo autem ſenſu hoc accipiendum, ſit clarè indicat & explicat Paulus 1 Cor: x, 15. inquiens,* Nonne panis quem frangimus communicatio corporis Chriſti eſt? Nonne poculum cui benedicimus communicatio ſanguinis Domini eſt? *Quicunque itaque ederit panem benedictum, unà corpus Domini edit; & quicunque biberit vinum benedictum, unà bibit ſanguinem Domini. Et hæc eſt unio Sacramentalis in cœna inter panem & corpus Domini, non ab hominibus conficta, ſed à Spiritu Dei clarè tradita.*

Reſp. 1. Non alia debet fingi unio panis & corporis Chriſti in cœna quam σχετικὴ & relativa ſigni ad ſignatū, qualis aquę in baptiſmo cum ſanguine Chriſti nos lavante ab omni peccato, & mannæ & aquæ ex petra manantis in deſerto cum carne & ſanguine Chriſti. 2. Quo ſenſu panis & vinum ſint κοινωνία corporis & ſanguinis Chriſti ſuperiùs ſatis ſuperque explicavimus, & nullis inde fidiculis colligetur, ore eodem ſumi ſubſtantiam corporis & ſanguinis Chriſti quo panis & vinum ſumuntur & abſumuntur. 3. Unà cum pane & vino ſumi corpus & ſanguinem Domini largior duplici ſenſu; Primò enim hæc ſumuntur cum illis in ſuo eſſe ſignificato & relativo, quatenus panis & vinum quæ ore ſumuntur ſignificant corpus & ſanguinem Domini, ex ipſius inſtitutione, juxta quam ſub illo formali traduntur & exhibentur; Secundò, hæc quoque unà cum illis ſumuntur à verè fidelibus,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

ſed non eodem modo: Illa enim ore, hæc fide percipi debent. 4. Si non ſint in Cœna *duo diſtincta organa* manducationis adhibenda, os & fides, non tenebuntur communicantes fide participare carni Chriſti, adeoque *κοινωνίαν* ſalutarem cum Chriſto in in uſu Cœnę conſequi; quod valdè abſurdum eſt. 5. Uno oris organo procedit Sacramentalis manducatio panis, adeoq; & corporis Chriſti in ſuo eſſe ſignificato; ſed in ſuo eſſe abſoluto, ut maneat in nobis & nos in ipſo, non aliter manducatur corpus Chriſti quam ſpiritualiter & fide. 6. Utramque partem Sacramenti *ore* ſumi, dicitur vel ambiguè, vel etiam falſò. Nam res ſignificata in ſuo eſſe abſoluto non ſumitur ore, ſed ſolum fide: At in ſuo eſſe ſignificato, non habet unionem φυσικὴν, ſed tantum σχετικὴν cum ſigno; prout omne ſignum definitur Auguſtino *lib.2. de doct. Chriſt. cap.1. Res præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliud ex ſe faciens in cogitationem venire.* 7. Mandatum edendi, duo complectitur; primò ut phyſicè id ipſum dentibus teratur & frangatur, quod datur à Miniſtro, nempè panis; ſecundò, ut cum ille panis ſit ſignum & Sacramentum corporis Chriſti, per illius eſum phyſicum & naturalem, excitemur ad manducationem ſpiritualem & myſticam rei ſignificatę: Nam ut panis Euchariſtię adeoque & illius manducatio, præter ſuum eſſe phyſicum & abſolutum, habet quoque ſuum eſſe myſticum & ſignificativum, ita mandatur nobis per verbum *Edite*, non tantum manducatio phyſica & oralis, ſed etiam manducatio myſtica & ſpiritualis, quam fide & mente fieri, non ore, in confeſſo eſt apud adverſarios.

QUæſt. IV. *An intolerabilis ſit uſus particularum* In, Cum *&* Sub, *in Myſterio Sacramentalis præſentiæ explicando?* Clariſſ. Brochmannus agnoſcens Spiritum Dei *iſtis loquendi formis, ſaltem totidem verbis*, non uti, vult tamen eas propugnare, tum contra Pontificios, eo quòd *quam maximè adverſentur Tranſſubſtantiationi*, tum adverſus Calvinianos, ut amat loqui, *quod larvam detrahant fictitiæ iſti corporis Chriſti præſentiæ quam in cœna*

in cœna

in Cœna ſacra urgent, quippe qui *aliam non agnoſcant aut admittant corporis Chriſti in cœna præſentiam quam quæ fit fide in cœlum evolante.* Verùm nec iſtâ machinâ opus erat ad Tranſſubſtantiationem impugnandam, quæ ſatis corruit eo ipſo quod *panem* vocet Scriptura id quod ore ſumitur in Euchariſtia, & de *pane* dicat Chriſtus eum eſſe corpus ſuum; nec bonâ fide Reformatorum ſententia hîc refertur à Brochmanno: Nam Chriſti præſentiam duplicem agnoſcimus in Sacra Cœna; alteram Symbolicam & Sacramentalem in *ſigno* corporis ſui, prout omne ſignum rem ſignatam quadantenus ponit præ ſenſibus, juxta ſigni definitionem quam modò ex Auguſtino retulimus; alteram myſticam & ſpiritualem, fidei dignè communicantium, quâ ejus carnem non minus verè edunt & bibunt ſanguinem in alimentum vitæ æternæ, quam ore ſumunt panem & vinum quibus vita hæc temporaria ſuſtentatur. Et cùm agnoſcat ipſemet Vir Eruditus, 1. dari ſpiritualem carnis Chriſti manducationem, de qua agitur toto capite 6. Johannis; 2. eam peragi *ſolo ſpiritu, animâ & fide*; non video cur magis *fictitia* debeat dici corporis Chriſti præſentia in Cœna, quâ præſens eſt fidei, quam fictitia foret dicenda carnis Chriſti manducatio quæ fide ultra *ἀισθητὰ* ad *τὰ νοητὰ* aſſurgente peragitur, & per quam arctiſſimam cum ipſo *κοινωνίαν* conſequimur. Has verò particulas IN, CUM & SUB, quas nec ipſa habet Auguſtana Confeſſio, meritò deteſtamur, ceu deſtinatas adſtruendæ orali & Capernaiticæ carnis Chriſti manducationi, ejuſque incluſioni ac latitationi locali & indiſtanti ſub Elementis Sacramentalibus, in eo ſolum à Pontificio figmento diſcrepanti, quod Papiſtæ dicant corpus Chriſti eſſe præſens indiſtanter *in, cum & ſub ſpeciebus panis*, cùm Lutherani tantum panem reponant loco ſpecierum illius, ideſt revera idem dicant, ſi *ſpecies* panis & vini ſenſu conſtanti Veterum uſurpentur, non pro inanibus accidentibus abſque ſubjecto, ſed pro ipſa elementorum Sacramentalium ſubſtantia & natura. Argumenta autem noſtrorum quibus hæc loquutio *in, cum & ſub* pane, rejicitur, prout referuntur ab ipſomet Cl. Brochmanno, haud difficile erit vindicare.

ARGUM. I. *Abeunt hac ratione Lutherani à ῥητῷ in ſacra cœna; nam ſi corpus Domini eſt in pane, cum pane, ſub pane, neutiquam panis eſt ipſum Domini corpus.* Etenim *Hoc eſt*, nequit ſine miro ac inintelligibili tropo, ſignificare, *in, cum, ſub hoc eſt.*

Except. 1. *Lutherani nunquam dixêre, nunquam docuêre quod loquutio hac,* Panis eſt corpus Domini, *ſit loquutio aut Euangeliſtarum, aut Pauli, qui cœnam Dominicam nobis deſcripſerunt: Sed Spiritus Dei loquutio eſt* Hoc eſt corpus meum, *ubi pronomen* Hoc *eſt quiddam* συμπεπλεγμένον *ambitu ſuo continens & panem & corpus Domini.* R. 1. Lutherani contra Pontificios benè pertendunt pronomine *Hoc*, ut-ut neutro, referri ἄρτον, ac ut ipſe Brochmannus contra eos loquitur impugnans Tranſſubſtantiationem, per illud *id deſignari, quod Chriſtus in manus ſuas ſumpſit & cui benedixit*, (addo & quod fregit) *ac diſcipulis ad edendum porrexit.* Id autem fuiſſe panis ſubſtantiam, eſt certiſſimum. 2. Juxta eoſdem verba Chriſti *Hoc eſt corpus meum*, per illa Pauli veniunt intelligenda, *Panis quem frangimus eſt* κοινωνία *corporis Chriſti*; Cùm ergo hoc loco Pauli, *Panis quem frangimus* habeat rationem ſubjecti, etiam *panis* pronomine *Hoc* debet deſignari in verbis Chriſti. 3. Quod ſi pronomen *Hoc* de pane non intelligatur, ergo ad τὸ σῶμα debebit referri, quod Tranſſubſtantiatoribus negant Lutherani. 4. *Par eſt ratio*, inquit Brochmannus contra Pontificios, *utriuſque partis cœnæ; atqui in ſecunda parte cœnæ ponitur apud Lucam & Paulum poculum; (hoc eſt vinum, interprete Matthæo cap. 26. verſu 29.) Quare etiam, in priore cœnæ parte concedendum eſt notari panem pronomine* Hoc. Quod ſi id concedendum eſt, ergo & illud, hanc propoſitionem eſſe veram & Spiritus Dei, *Panis eſt corpus Chriſti*; Nec enim, ut benè monet Hieronymus *ad cap. 1. Gal. in verbis Scripturarum eſt Euangelium, ſed in ſenſu; non in ſuperficie, ſed in medulla; non in ſermonum foliis, ſed in radice rationis.* 5. Si quod ἄγραφος ſit hæc loquutio, *Panis eſt corpus Domini*, quoniam αὐτολεξεὶ non extet in Scriptura, (quanquam *ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus intelligimus*, inquit Auguſtinus *lib. 3. contra Maxim. cap. 3.*) veniat rejicienda, quanto minus admittenda hæc nova & monſtroſa phraſis Lutherana, quod

in, cum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

in, cum & ſub pane ſit corpus Chriſti, cujus nec vola nec veſtigium extat vel in Scripturis, vel apud Veteres, niſi forte in horrenda illa palinodia, quam Antichriſtus Romanus, pręſcripſit Berengario, in *Can. Ego Bereng. diſt.2. de Conſec.* qui coactus eſt profiteri, *panem & vinum quæ in altari ponuntur poſt conſecrationem non ſolum Sacramentum, ſed etiam verum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti eſſe, & ſenſualiter non ſolum in Sacramento, ſed in veritate, manibus Sacerdotum tractari, frangi, & dentibus fidelium atteri*; ubi Gloſlator ipſe Juris Canonici cogitur annotare, quod *niſi ſanè intelligas verba Berengarij*, imo Nicolai cum ſuo Conciliabulo ea dictantis Berengario, *in majorem incides hæreſim quam ipſe habuit*. 6. Non poteſt pronomen *Hoc* ullo modo ad corpus Chriſti pertinere, quin ſit ſenſus tautologicus & abſurdus, *Hoc corpus meum eſt corpus meum*. 7. Æquè abſurdè fingas, dari aliquod ζυμπεπλεγμένον & compoſitum ex pane & corpore Chriſti, quod dicatur corpus Chriſti: tum quia talem ζυμπλοκὴν & compoſitionem neſcit Scriptura, nec magis ſit fingenda ex pane & corpore Chriſti in Cœna, quam ex aqua & ſanguine Chriſti in Baptiſmo; tum quia perinde poſſet dici, *Hoc eſt panis meus*, vel *Hoc, ideſt, hic panis & hoc corpus meum, eſt corpus meum*, vel *Hoc, ideſt panis & corpus meum eſt panis*, quæ omnia ſuâ abſurditate ſe refutant, ac dictum fuit à Chriſto, *Hoc eſt corpus meum*. 8. Si etiam corpus Chriſti pronomine *Hoc* ſignificatur, non ſolum deberet eſſe id pronomen & ſubſtantivum reſpectu panis, & adjectivum reſpectu corporis, ſed etiam oportebit Chriſtum ſuum corpus in manibus ſuis ſumpſiſſe, iiſdem illud fregiſſe, illi benedixiſſe, illudque tradidiſſe diſcipulorum ſuorum dentibus maſticandum; quia de eo id pronomen intelligitur, vel fatentibus adverſariis, quod Chriſtus accepit in menſa, cui benedixit, quod fregit, quod tradidit diſcipulis, & quod illi ſenſibiliter ac dentibus ſuis terere debuerunt. Scilicet hæc portenta veniunt ab iis aſſerenda, qui illi veritati, quàm alias propugnant contra Pontificios, nolunt ſubſcribere, *Panis eſt corpus Chriſti*.

Except. 2. *Licet Lutherani admittant loquutionem*, Panis eſt corpus Domini, *tanquam Eccleſiaſticam, tamen panis Lutheranis non eſt corpus*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Domini eſſentiali prædicatione, ſed Lutheranorum ſententia eſt, Panem non-niſi Sacramentaliter eſſe corpus Domini, ideſt, medium eſſe cujus interventu communicatur corpus Domini, teſte Paulo 1 Cor:x,16. R. 1. Si hæc loquutio ſit exegeſis *Eccleſiaſtica* verborum Chriſti, *Hoc eſt corpus meum*, debet neceſſariò niti authoritate Scripturarum. 2. Non poſſunt eam Lutherani ceu veram admittere quin eo ipſo ſuâ cauſâ cadant, ut ex antecedentibus liquet. 3. Nec Orthodoxi volunt, panem eſſe corpus Domini *eſſentiali prædicatione*, ſed tantum *Sacramentaliter*, quia eſt ſignum & Sacramentum corporis Chriſti: quod ſi bonâ fide ſentiunt Lutherani, ut ait Vir Doctiſſimus, nobiſcum omninò conſentiunt. 4. Conſentimus quoq; panem ideo dici corpus Chriſti, quod ſit *medium* ſacramentale, *cujus interventu communicatur corpus Domini*, ideſt in illius κοινωνίαν ſpiritualem & ſalutarem deducimur; prout aqua in baptiſmo eſt Sacramentale medium cujus interventu noſtræ conſcientiæ per Spiritum Dei ſanguine Chriſti aſperguntur, ita ut eo reſpectu æquè poſſit aqua in Baptiſmo dici ῥαντισμὸς ſanguinis Chriſti, ac dicitur panis in cœna κοινωνία corporis illius, licet in, cum & ſub aqua, ſanguis Chriſti quo aſpergimur, ſubſtantialiter & indiſtanter præſens non ſit.

Except. 3. *Loquutiones hæ*, Panis eſt corpus Domini, *&* Cum pane eſt corpus Domini, *loquutiones ſunt vocibus diverſæ, ſed ſenſu eædem; nam altera eſt alterius explicatio; eo planè modo quo è Scripturis dico*, Chriſtus eſt Deus *Rom:ix,5*. In Chriſto eſt Deus *2 Cor: v, 10.* cum Chriſto eſt Deus *Act:x,38*. Deus ſeu verbum eſt caro *Ioh: 1, 14. &* Deus eſt in carne manifeſtatus *1 Tim: III, 16*. R. 1. Si iſtæ duæ loquutiones ſunt *ſenſu eædem*, hæc Lutherana non magis erit *Spiritus Dei loquutio*, quam illa Reformata & *Eccleſiaſtica*. 2. Magnus eſt hiatus inter utramque: Nam illa, *Panis eſt corpus Chriſti*, non aliter reſolvitur quam per hanc, *Panis eſt Sacramentum & ſignum corporis Chriſti*, aut, *Panis ſignificat corpus Chriſti*. 3. Aliud eſt panem dici & eſſe corpus Chriſti Sacramentaliter & ſignificativè, aliud *in, cum & ſub* pane indiſtanter & ſubſtantialiter eſſe corpus Chriſti. 4. Non tantum agitur de *Cum*, vel de *In*, ſed de *In, cum & ſub*, ſimul; quod nullo ſimili è Scriptura ſenſu Lutherano unquam demonſtra-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

monſtrabitur, & revera in infinitum recedit ab illo τοῦ ῥητοῦ quod tantopere videntur iſti homines velle retinere. 5. Agnoſcimus *cum* pane à fidelibus in Cœna ſumi Chriſti corpus, ſed illum ore, hoc fide & corde: Agnoſcimus quoq; poſſe dici quod *in* pane ſit corpus Chriſti, ut ſignatum in ſigno; Sed τὸ κρινόμενον eſt, an *in, cum & ſub* pane indiſtanter & ſubſtantialiter ſit corpus Chriſti ore ſumendum & manducandum ut ipſe panis. Similia quæ hic adferuntur ſunt planè diſſimilia: Nam nullo locorum hîc citatorum hæc formula *in, cum & ſub* legitur; Nec poteſt fingi unio hypoſtatica corporis Chriſti cum pane, per eam *Impanationem* quam *Stercoraniſtæ* olim introduxerunt, cujuſmodi eſt τοῦ λόγου cum carne quam aſſumpſit: Unio naturarum in Chriſto eſt φυσικὴ, ut definitum eſt in Concilo Epheſino contra Neſtorium, per quam non in unam naturam, ut finxit Eutyches, ſed in unum ſuppoſitum indiſſolubile coaleſcunt; ſed unio panis & corporis Chriſti eſt Sacramentalis, σχετικὴ & relativa, qualis eſt inter ſigna & res ſignificatas, & cujuſmodi erat inter circumciſionem & fœdus, agnum & Paſcha, petram & Chriſtum. Ut taceam quod loca à Brochmanno prolata non faciant ad rhombum: Nam Joh:1,14. non legitur *Deus* ſive *Verbum eſt caro*, ſed *Verbum caro factum eſt.* Et 1 Tim:111, 16. *Deus in carne manifeſtatus*, eſt Deus incarnatus; Jam verò nec Chriſtus poteſt dici *impanatus*, nec panis fieri corpus Chriſti per illius aſſumptionem, ut λόγος caro factus eſt per carnis noſtrę aſſumptionem in unitatem perſonæ. Ubi vero *Deus* dicitur fuiſſe *in* Chriſto ut 2 Cor: v, 19. & *cum* Chriſto Act: x, 38. id de perſona Patris potius debet intelligi, ut Joh:x,38. xiv,10. quam de perſona λόγου, adeoque ad loquutiones perſonales de Chriſto formaliter non ſpectat: Et nuſquam Deus dicitur fuiſſe *in, cum & ſub* Chriſto, ad explicandam illam loquutionem veriſſimam, *Chriſtus eſt Deus*, aut ςυνωνυμῶς cum illa.

ARGUM. II. *Invertitur Lutheranâ loquendi formâ prædicatio Sacramentalis Chriſti, ita ut ex ſubjecto fiat prædicatum: Nam non prædicatur de pane quod ſit corpus Domini, ſed de corpore Domini quod ſit in pane.*

Except. 2.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Except. 1. *Neutiquam invertimus propoſitionem Sacramentalem à Chriſto uſurpatam; Nam Chriſtus non inquit,* Panis eſt corpus meum, *ſed verba Chriſti ſunt,* Hoc eſt corpus meum, *pronomine* Hoc *deſignans & panem & corpus.* R. 1. Si pronomen *Hoc* deſignat ſimul & panem & corpus, tum corpus Chriſti in ejus oratione erit ſimul prædicatum & pars ſubjecti; quod quam abſurdum ſit viſum ſuo loco. 2. Si corpus Domini etiam pronomine *Hoc* deſignatur, nequidem tum æquipollebunt hæ duæ propoſitiones, *Hoc eſt corpus meum*, & *In, cum, & ſub hoc eſt corpus meum*, quin dicatur corpus Chriſti eſſe *in cum & ſub* corpore Chriſti; quod valdè feſtivum foret. 3. Reverâ Chriſti loquutio, *Hoc eſt corpus meum*, coincidit & verbis & ſenſu cum hac, *Panis eſt corpus meum*, ſiquidem, ut ſatis ſuperque oſtenſum fuit, pronomine *Hoc*, ſolus panis deſignatur. 4. Quod ſi corpus & panis illo pronomine debent ſimul intelligi, ut corpori conveniat ſumi & edi ore non minus quam pani, non ſolum quoque debebit convenire corpori, ut frangatur, digeratur, egeratur in ſeceſſum ut panis; ſed etiam quæ ſunt corporis convenient ipſi pani, adeoque non corpus tantum Chriſti traditum erit pro nobis, nec ſanguis tantum illius effuſus erit in remiſſionem peccatorum noſtrorum, ſed etiam panis dicendus erit traditus in λύτρον animarum noſtrarum, & vinum effuſum in peccatorum remiſſionem; quod nemo vel febricitans ſomniaverit unquam.

Except. 2. *Loquutio* In, cum, ſub pane eſt corpus Domini, *ἐξήγησις eſt loquutionis Eccleſiaſticæ,* Panis eſt corpus Domini. *Nam panis ratione eſſentiæ ſuæ conſideratus, non eſt ipſiſſimum corpus Domini, ſed panis dicitur corpus Domini, quia unà cum pane exhibetur corpus Domini, ſeu ut loquitur D. Paulus 1 Cor: x, 26.* panis eſt communicatio corporis Domini. R. 1. Hæc loquutio non modo eſt *Eccleſiaſtica*, ſed divina, quæ mentem Chriſti directè exprimit. 2. Ejus non eſt explicatio, ſed perverſio quam tradunt Lutherani, deſtituti in ſua phraſiologia omni authoritate & Divinâ & Eccleſiaſticâ. 3. Cùm panis non ſit *ratione eſſentiæ ſuæ* corpus Domini, debet id eſſe duntaxat ratione ſui uſus Sacramentalis ſuæque myſticæ ſignificationis, ut cum ex ſaxo fit limes, ex cera ſigillum. Dicitur

itaque

itaque eſſe *corpus Domini*, quia eſt illius ſignum & Sacramentum. 4. Unà cum illo exhibetur bifariàm corpus Domini; Primò moraliter & ſignificativè, quatenus eſt illius ſignum & Sacramentum; Secundò ſpiritualiter & verè, quatenus dignè communicantes fiunt in Cœna per fidem participes corporis & ſanguinis Chriſti ad vitam æternam. 5. Cùm ſint ejuſdem ſignificationis hæ duæ loquutiones, Paulina ſcilicet, *Panis eſt κοινωνία corporis Chriſti*, & hæc altera, *Panis eſt corpus Chriſti*, hinc liquet nec panem eſſe ſubſtantivè corpus Chriſti, ſed ſacramentaliter tantum & ſignificativè, nec eſſe κοινωνίαν corporis Chriſti, quod unà cum ore ſumatur Chriſti corpus, ſed quod ſit pignus, ſignum ac Sacramentum dignè uſurpantibus ſalutaris κοινωνίας quam habent cum Chriſto per fidem & Spiritum & Sanctum, & quâ manet in nobis & nos in ipſo. 6. *Exhibetur* unà cum pane corpus Domini, omnibus quidem in eſſe ſuo ſignificato & relativo, ſed ſolis dignè communicantibus in eſſe ſuo abſoluto; nec ore recipiendum, ut panis qui eſt corpus Chriſti ſignificativè, ſed corde & fide. *Qui credit in eum*, inquit Auguſtinus, *manducat eum; inviſibiliter ſaginatur, quia inviſibiliter renaſcitur.* 7. Neutra harum exceptionum attingit vim argumenti aut illud ſolvit.

ARGUM. III. *Adſtruitur dictâ loquutione incluſio corporis Chriſti in pane, aut ſaltem corporis Chriſti ſub pane latentia, ſeu deliteſcentia.*

Except. 1. *Particulæ IN, CVM, SVB, non ſemper inferunt localem incluſionem: Etenim Pater eſt in Filio, & Filius in Patre Ioh: XIV, 11. Chriſtus habitat in nobis per fidem Epheſ: III, 17. Deus ambulat in nobis 2 Cor: VI, 16. Spiritus Sanctus habitat in nobis 1 Cor: III, 16. Vbi certè localem incluſionem fingere blaſphemia foret.* R. 1. Agitur de his particulis tribus conjunctim, non de una particula *In*, quæ ſola extat locis hic citatis. 2. Quoties res corporea dicitur eſſe *in*, *cum & ſub* aliqua alia re ejuſdem ordinis, debet deſignari incluſio localis; jam verò & caro Chriſti eſt res corporea, & ipſe panis *in*, *cum & ſub* quo illa dicitur à Lutheranis eſſe & manducari. 3. Exempla quæ hic proferuntur rerum infinitarum & ſpiritua-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

lium, quę in aliis dicuntur eſſe, non tamen ſimul *in, cum & ſub* illis, non favent huic phraſi Lutheranæ, in re corporea, adeoque alterius ordinis & naturæ. 4. Si valeant hæc ſimilia, æquè panis erit in corpore Chriſti ac corpus Chriſti in pane, quia ut Pater eſt in Filio ita Filius in Patre, ut Filius in nobis ita nos in illo. Prius tamen non auſint dicere adverſarij. 5. Tum Chriſtus eſt in nobis per fidem, & Spiritus Sanctus per gratiam: non verò per ejusmodi ζυμπλοκὴν, per quam de fideli ſub pronomine demonſtrativo poſſit dici, Hic eſt fidelis & Chriſtus, Vir pius & Spiritus Sanctus; ut hîc fingunt adverſarij, qui volunt in verbis Chriſti pronomen *Hoc* quiddam ζυμπεπλεγμένον complecti, quod denotet ſimul panem & corpus ipſius. 6. Denique quod 2 Cor. VI, 16. dicitur Deus ambulare in nobis, nihil aliud eſt quam ambulare inter nos vel in medio noſtri, ut Chriſtus deſcribitur ambulare inter ſeptem candelabra Apoc: II, 1. Miſera debet eſſe cauſa, quæ tam ficulneis tibicinibus ſuſtinenda venit.

Except. 2. *Particulæ* In, cum, ſub, *in Sacræ Cœnæ myſterio, non ad localem incluſionem, ſed ad deſignandam ſubſtantialem corporis & ſanguinis Chriſti præſentiam, ſed cum externis panis & vini Symbolis arctiſſimè junctam, adhibentur.* R. 1. Si corporis & ſanguinis Chriſti ſubſtantia *arctiſſimè* ſit juncta *cum externis panis & vini ſymbolis*, debet eſſe localis illius præſentia in Euchariſtia. Quæ enim ſubſtantia corporea arctiſſimè juncta eſt alteri ſubſtantiæ corporeæ, quæ certo ſpatio & loco continetur, habet proculdubio iſthîc loci præſentiam *localem.* Ut enim ſubjectum ſit localiter præſens, non tamen adjunctum, itidem corporeum, quod ei arctiſſimè conjunctum eſt, neſcio quî concipi poſſit. 2. Poſitâ locali & ſubſtantiali præſentiâ corporis Chriſti *in, cum & ſub* pane, ut ore unà ſumatur, omninò debet pane includi; ut pilula ex aloe includitur eo ceraſi cortice, *in, cum & ſub* quo deglutiri debet. 3. Niſi hic admittatur localis incluſio, per quam continens ſit contento minus, & corpus Chriſti ac corpus panis ſe mutuò penetrent, rejiciat licet ſanior Philoſophia penetrationem dimenſionum ceu abſurdam & contradictoriam, non poterit concipi quî Chriſti corpus ſit magis indiſtanter præſens in Cœna quam in

cœno,

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

cœno, cui per Ubiquitatis monſtrum præſens quoque eſſe dicitur. 4. Aliquid præſens dicitur, vel loco, vel ſigno, vel tempore, vel cogitatione ac memoria, vel operatione. Jam autem, juxta adverſarios Chriſti corpus *in, cum & ſub pane* præſens eſt nobis, non tantum ſigno, cogitatione, memoriâ, ut nec operatione, vel ſolo tempore; ergo debet eſſe loco præſens, eodemq; cum pane circumſcriptum ſpatio: eo quod præſentia localis cujuslibet rei corporeæ debeat eſſe localis & circumſcriptiva. Nempe *tantæ molis erat Romanam condere gentem*, & Papiſticam delitescentiam corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis, novo commento æquè inficeto incruſtare.

OBJECT. I. *Cùm hac loquendi formâ commodè occurratur, & Tranſſubſtantiationi Pontificiæ & fictitiæ iſti corporis Chriſti præſentiæ quam introducunt Calviniani, quidni eodem jure retinebitur, quo aliæ loquendi formæ quæ pio conſilio introductæ ſunt ad vitandum pariter & detegendum ambiguas adverſariorum loquutiones?*

Reſp. 1. Parum abeſt quin inſolentem hanc phraſim cum vocibus Trinitatis, & Conſubſtantialitatis, & unionis perſonalis, iſti homines velint conferre; dum *uſum* & *fructum* iſtius novæ loquutionis perperam ruſpantur. 2. Inſeruit ea utcunque *Impanationi* Paſchaſianæ exprimendæ, ſed non rejiciendæ *Tranſſubſtantiationi Pontificiæ*, cum qua plus ſatis amicabiliter conſpirat; Nam quod Conſubſtantiatores dicunt eſſe corpus Chriſti ore manducandum in, cum & ſub pane, Tranſſubſtantiatores ſtatuunt faciendum in, cum & ſub ſpeciebus panis; & utrique Capernaiticam & oralem carnis manducationem adſtruunt. 3. Nec videmus quî jure negent Lutherani Pontificiis corpus Domini, etiam extra uſum Sacramenti, poſt conſecrationem remanere ſub ſpeciebus panis, ſi poſitâ conſecratione, *in, cum & ſub* pane ſit collocandum. 4. Difficilè foret Lutheranis aſſignare momentum quo corpus Chriſti incipit eſſe *in, cum & ſub* pane, tum reſpectu veſcentium in ſacra Cœna, tum reſpectu totius actionis: & num ibi ſubſiſtat corpus Chriſti expectando ultimum communicantem, illicò inde

diſceſſurum; poſtquam ille ſuam ſumpſerit portionem; aut cum quilibet communicantium panem ſub quo comeſtum eſt trajecit in ſtomachum, & priuſquam in ſeceſſum egeratur. 5. Corporis Chriſti præſentiam duplicem in Cœna nos agnoſcere ſuprà dictum, quarum neutra eſt *fictitia*: nam eſt ſigno præſens in Sacramento, quę præſentia Sacramentalis nititur inſtitutione Domini; eſt præſens ſpiritualiter animo & fidei ſuorum, quorum cum non ſit *fictitia* manducatio ſpiritualis carnis Chriſti, nec fictitia debet dici præſentia quâ veſcentibus hoc modo præſentem eam eſſe oportet.

OBJ. II. *Quando urgemus corpus Domini accipi cum pane, in pane, ſub pane, nihil aliud intendimus quam panem eſſe communicationem corporis Chriſti, quæ ſunt verba D. Pauli 1 Cor:x,16.*

Reſp. 1. Credimus & nos verbis Apoſtoli, qui novimus panem quem frangimus eſſe pignus & Sacramentum ſpiritualis & ſalutaris noſtræ κοινωνίας cum Chriſto; Sed negamus illam explicationem verborum Pauli, quam ut ſervirent ſuæ hypotheſi confinxerunt adverſarij. 2. Non quærendum quid intendant, ſed quam benè ſuum finem aſſequantur. 3. Si volunt per hanc ſuam loquutionem explicare mentem Pauli, non ergo debent illam loquutionem verbis Paulinis confirmare. 4. Ad κοινωνίαν corporis Chriſti Sacramentalem, non requiritur ut corpus Chriſti ſit *in, cum & ſub* pane ore deglutiendum; cùm nihil aliud ore ad illam ſit ſumendum quam panis qui eſt ſignum & Sacramentum corporis Chriſti: multo minus id requiritur ad κοινωνίαν ſpiritualem & ſalutarem, ad quam ſignificandam & promovendam hoc Sacramentum eſt inſtitutum: cùm illa κοινωνία ſpiritualis per quam manet in nobis & nos in ipſo, non ore fiat, ſed corde & fide, etiam in hoc Sacramento; in quo à verè fidelibus ſpiritualiter manducari corpus Chriſti, ne ipſa quidem impudentia auſit negare. 5. Volunt adverſarij has duas loquutiones æquipollere, *Hoc eſt corpus meum*, & *Panis eſt κοινωνία corporis Chriſti*: Quod ſi ergo prioris ſenſus ſit quod *in, cum & ſub* hoc pane ſit corpus Chriſti,

oporte-

oportebit quoque ipſam κοινωνίαν corporis Chriſti eſſe *in*, *cum & ſub* pane qui frangitur: cùm tamen hæc κοινωνία non ſit in pane, ſed ſacramentaliter in veſcentibus pane, ſpiritualiter verò in veſcentibus per fidem carne Chriſti: Quis enim dubitet communicationem corporis Chriſti in illis eſſe qui corporis Chriſti fiunt participes, non verò in re per quam illius participes evadunt?

Expectaſſemus à Viro Celeberrimo ſolidiora ad hanc cauſam argumenta: ſed ipſi defuit hac in parte & dextra ad gladium & ſiniſtra ad clypeum; ut videatur potiùs dicis cauſa hanc tractaſſe controverſiam, quam ſibimet in ea ſatisfacere potuiſſe.

QUæſt. V. *An indigni, hoc eſt impij & increduli, fiant in Sacra Cœna participes corporis & ſanguinis Chriſti?* Affirmativam cum Pontificiis tuentur Lutherani: Quod verò nos Cl. Brochmannus in negativæ defenſione conjungit Socinianis & Suenkfeldianis, minus æquè facit; cùm ſatis intelligat nos ab illis in materia Sacramentorum δὶς διὰ πασῶν diffidere. Negationis vero noſtræ ipſe ſequentia proponit argumenta.

ARGUM. I. *Caro Chriſti vivifica eſt*, (ſaltem ut amant loqui Lutherani; cùm potiùs dicerem ad hoc formandum Argumentum, Manducatio carnis Chriſti eſt vivifica:) *Ioh: VI, 54. Impij vero & infideles non vivificantur.*

Except. *Quanquam caro Chriſti in ſe vivifica caro ſit Ioh: VI, 54. tamen non quosvis ſed ſolos credentes vivificat Ioh: VI, 47. Incredulis autem mortem affert 1 Cor: XI, 27. eo planè modo quo Euangelium quod in ſe eſt potentia Dei ad ſalutem Rom:1, 16. credentibus eſt odor vitæ ad vitam & incredulis odor mortis ad mortem 2 Cor: II, 15. 16.* R. 1. Verum eſt comeſtione carnis Chriſti neminem vivificari niſi credentem; ſed viceverſâ nemo eâ veſcitur niſi credens: Nam *credere in Ieſum Chriſtum hoc eſt manducare panem vivum*, inquit Auguſtinus *tract. 26. in Ioh.* quemadmodum *qui manducant & bibunt Chriſtum vitam manducant*

ducant & bibunt. Illum manducare eſt refici, illum bibere eſt vivere, ut habet idem *ſerm.2. de Verb. Apoſt.* 2. Ipſe Chriſtus huic exceptioni abundè ſatisfacit, cum ait Joh: VI, 35. *Ego ſum panis ille vitæ; qui venit ad me nequaquam eſuriet & qui credit in me non ſitiet unquam;* & 50. 51. *Hic eſt panis ille qui è cœlo deſcendit, ut qui eo veſcitur non moriatur: Ego ſum panis ille vivificus qui è cœlo deſcendit, ſi quis ederit ex hoc pane, vivet in æternum; panis autem quem ego dabo caro mea eſt quam ego dabo pro mundi vita:* & 53. 54. 55. 56. 57. 58. *Niſi ederitis carnem filij hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui edit carnem meam & bibit meum ſanguinem habet vitam æternam & ego excitabo ipſum in ultimo die. Caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus; Qui edit meam carnem & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo: Sicut miſit me vivens ille Pater & ego vivo per Patrem, ita etiam qui ederit me, vivet ipſe quoque per me. Hic eſt panis ille qui de cœlo deſcendit, non prout comederunt Patres veſtri manna & mortui ſunt; qui ederit hunc panem vivet in æternum.* Ex quibus omnibus liquet primò, Synonyma eſſe Chriſto, credere in ſe & ſuam carnem manducare, adeoque eam ab incredulis non mandicari; Deinde tam certum eſſe omnem manducantem ex illius carne victurum & ſervatum iri, quam periturum omnem qui carnem illius non comederit; Tertiò, mortuos quidem fuiſſe qui comederunt manna, licet eſſet Sacramentum corporis Chriſti, ſed non moriturum qui re ſignificatâ & carne ſuâ veſcatur, ut verè dictum ſit ab Auguſtino *tract.27. in Ioh. Ipſa vita æterna tu es, & non das in carne & ſanguine tuo niſi quod es.* 3. Hoc fuit diſcriminis inter cœteros Apoſtolos & Judam, judice Auguſtino *tract.59. in Ioh.* quod *illi manducabant panem Dominum, ille panem Domini contra Dominum.* 4. Ideo caro Chriſti ſolos credentes vivificat, quia à ſolis credentibus manducatur, etiam in Cœna Domini; Increduli verò ideo non vivificantur, quia in Cœna, ut loquar cum Julio Firmico Materno, *de errore prof. relig.* ad Conſtantinum & Conſtantium A.A. *pag. mihi 57. non ſolum panis iſte à Deo ſummo ſacrilegis & impiis denegatur, ſed & pœna promittitur, & acerbæ mortis decernuntur exitia.* Et Origenes *ad cap. 15. Matt.* poſtquam de cibo qui ſanctificatur per verbum Dei in Cœna dixiſſet, quod etiam *juxta id quod habet ma-*

teriale

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

teriale in ventrem abit & in ſeceſſum ejicitur; paullò poſt ſubdit, *Et hac quidem de typico ſymbolicoq; corpore: Multa porrò & de ipſo verbo dici poſſent quod factum eſt caro veruſq; cibus, quem qui comederit omninò vivet in æternum, quem nullus malus poteſt edere; Etenim ſi fieri poſſet ut qui malus adhuc perſeveret, edat Verbum factum carnem, cum ſit Verbum & panis vivus, nequaquam ſcriptum fuiſſet, Quiſquis ederit panem hunc vivet in æternum.* 5. Eſt regula certa & conſtans antiquitatis Orthodoxæ, relata Proſpero *lib. Sent. cap. 339.* quod *qui diſcordat à Chriſto, nec manducat carnem ejus nec ſanguinem bibit, etiamſi tantæ rei Sacramentum ad judicium ſuæ præſumptionis quotidie indifferenter accipiat.* Ideo etiam monet Cyprianus, aut quiſquis inter illius opera eſt author *ſerm. de Cœna Dom.* quod *inter menſæ Dominicæ convivas*, ut ſcil. particeps fiat rei ſignificatæ, *animalis homo non admittitur.* 6. Ut ſint qui indignè & ad ſui perniciem manducent in ſacra Cœna ex hoc pane & bibant ex hoc calice, largior lubens ex Pauli doctrina 1 Cor: XI, 27. Sed ipſammet carnem Chriſti & ejus ſanguinem indignè comedi & bibi à quoquam, nuſquam dicitur; cum è contrario omnis noſtra dignitas ex carnis Chriſti eſu & ſanguinis Chriſti potu pendeat. 7. Prout reſpectu Baptiſmi, juxta Lombardum ipſum aliàs à nobis citatum, benè diſtinguitur inter eos qui Sacramentum duntaxat ſumunt, fictè accedendo & ſine fide, & eos qui unà cum Sacramento rem Sacramenti percipiunt, ita etiam reſpectu Sacræ Cœnæ, fictè & ſine fide accedentes Sacramentum duntaxat percipiunt carnis & ſanguinis Chriſti, ſed unà rem Sacramenti digni communicantes; quod jam ante nos dixit Auguſtinus *tract. 26. in Ioh. Hujus rei Sacramentum alicubi quotidie, alicubi certis intervallis dierum in Dominica menſa præparatur & de menſa Dominica ſumitur, quibusdam ad vitam, quibuſdam ad exitium; Res verò ipſa cujus Sacramentum eſt, omni homini ad vitam nulli ad exitium, quicunq; ejus particeps fuerit.* Nec dubium ulli homini ſano quin res Sacramenti in Cœna, diſtinctè ab ipſo Sacramento, ſit corpus & ſanguis Chriſti, ex quorum eſu & potu pendet ſalus & vita. 8. Paulus non dicit 1 Cor: XI, 27. carnem Chriſti manducatam ab incredulis *mortem* illis adferre, ſed panem Euchariſtiæ *indignè* manducatum. Longè aliud eſt dicere quoſdam *edere panem hunc aut bibere*

poculum

poculum Domini indignè, quam dicere quoſdam *indignè* edere & bibere carnem & ſanguinem Chriſti, quod Paulo nunquam venit in mentem. Qui autem indignè comedit ex hoc pane & bibit ex hoc calice, *reus tenetur corporis & ſanguinis Domini*; non corpus Domini edendo & ſanguinem ejus bibendo indignè, ſed aſpernando corpus & ſanguinem Domini, nec corpus illud diſcernendo 1 Cor: XI, 29. 9. Collatio benè procedit inter Sacramentum Cœnæ & prædicationem externam Euangelij, quæ pro ratione & conſtitutione audientium diverſos & contrarios planè effectus ſortitur; Sed caro Chriſti ejuſque manducatio non debet conferri cum prædicatione externa Euangelij; ſiquidem auditur Euangelium à multis fide deſtitutis; at caro Chriſti à ſolis fidelibus manducatur; adeoque *Chriſtus panis eſt de quo qui manducat vivit in æternum*, inquit Auguſtinus *in epiſt. ad Irenæum*. 10. Ut Euangelium non eſt *potentia Dei ad ſalutem* cuivis, ſed tantum *omni credenti* juxta Paulum Rom: 1, 16. (cujus verba debuiſſet Brochmannus meliori fide hîc citare) ita caro Chriſti non eſt cibus cuivis, quomodocunque ad ſacram ſynaxim accedenti, ſed tantum credenti in ſe, eamque ſpiritualiter manducanti.

ARGUM. II, *Non poteſt quiſquam bibere calicem Domini & calicem dæmoniorum* 1 Cor: X, 20. 21. *Increduli autem pertinent ad ſocietatem dæmoniorum.*

Except. 1. *Neutiquam dicit Apoſtolus abſolutè impoſſibile eſſe ut poculum Domini & dæmoniorum ſimul bibatur; nam ſi ita eſſet cur quæſo ne tale quid fieret diſſuaderet Dei Spiritus* 1 Cor: X, 20. 21. *Imò Paulus loco jam nominato Corinthios graviter accuſat quod & epulis accumberent Idolorum & ad ſacram Domini menſam accederent.* R. 1. Aut non aſſequitur aut diſſimulat Vir eruditus vim hujus argumenti: Nec enim negat Apoſtolus poſſe quem & epulis accumbere Idolorum & ad ſacram Domini menſam accedere in ſui perniciem: Sed negat poſſe quenquam in poculo & menſa Domini habere κοινωνίαν ſalutarem corporis & ſanguinis ipſius, qui κοινωνὸς dæmoniorum fuerit. Utrumque ergo poculum & Domini & dæmoniorum ab

eodem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

eodem homine ebibi poteſt facillimè, & ita fiebat à nonnullis Corinthiis; ſed qui eſt κοινωνὸς dæmoniorum in eorum poculo nequit *abſolutè* κοινωνὸς fieri Chriſti & ſanguinis ipſius in calice Eucharistico; cùm ille calix vergat ipſi in venenum & damnationem, non verò in κοινωνίαν ſanguinis Chriſti. 2. Diſſuadet Paulus Corinthios non ut ſint κοινωνοὶ ſimul Chriſti & dæmoniorum, hoc eſt enim abſolutè impoſſibile, æquè ac duobus ſervire Dominis Matt: VI, 24. cùm revera nulla ſit vel eſſe poſſe κοινωνία luci cum tenebris aut concordia Chriſto cum Belial 2 Cor:VI,14.15. Sed ne dum profitentur velle ſe eſſe κοινωνοὺς Chriſti in uſu & eſu ſacræ Cœnæ, fiant revera κοινωνοὶ Idolorum & dæmoniorum in uſu Idolothytorum ſub illo formali & ex conſcientia Idoli.

Except. 2. *Paulus quando urget, Non poteſtis Domini poculum bibere & poculum dæmoniorum, loquitur de impoſſibilitate non facti, ſed juris, innuens quod impij jdololatræ non poſſint ſalutariter, bona cum conſcientia, citra offendiculum proximi, citra læſionem Dei, citra judicij reatum, participes fieri menſæ Domini & dæmoniorum.* R. 1. Opponuntur hîc quæ poſſunt componi; Eſt enim impoſſibilitas *juris*, quoad uſurpationem ſymbolorum externorum; ſed eſt impoſſibilitas *facti*, quoad κοινωνίαν dæmoniorum quæ ex eorum menſa contrahitur, & κοινωνίαν Chriſti ad quam illius menſa ordinatur. Utramque κοινωνίαν jungere qui vellet, eo ipſo ſtuderet συγκλώθειν τὰ ἀσυγκλώστα. 2. Eo quod *impij & Idololatræ non poſſunt ſalutariter bona cum conſcientia, citra offendiculum proximi, citra læſionem Dei, citra judij reatum*, μετέχειν *menſæ Domini*, nequeunt in illa menſa habere illam κοινωνίαν corporis & ſanguinis Chriſti, ad quam ſignificandam, juvandam & promovendam, ſacra hæc menſa ordinatur. 3. Supponit ſemper adverſarius τὸ κεινόμενον, verè eſſe κοινωνοὺς corporis & ſanguinis Chriſti quotquot ſunt participes menſæ Dominicæ, ſive dignè ei accumbant, ſive indignè; cùm indigni communicantes & impij, nonniſi ſacramento tenus ſumant externa & quoad ſe inania ſymbola illius κοινωνίας.

Except. 3. *Nonne Paulus 1 Cor: XI, 27.29. diſertè docet inveniri qui corpus Domini, indignè & ad judicium edant?* R. 1. Minimè: Inveniuntur juxta Paulum qui indignè edant ex hoc pane, ſed non

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

qui corpus ipſum Domini edant indignè; ut ſæpiusculè jam annotare debuimus. 2. Editur indignè à multis panis Domini, à nemine panis ille qui eſt Dominus. *Non dicendum eum manducare corpus Chriſti qui in corpore non eſt Chriſti*, inquit Auguſtinus *lib. 21. de Civit. Dei cap. 25.* Item *ibid. Ipſe dicens, Qui manducat carnem meam & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo, oſtendit quid ſit non Sacramento tenus, ſed revera corpus Chriſti manducare & ejus ſanguinem bibere; hoc eſt enim in Chriſto manere, ut in illo maneat & Chriſtus. Sic enim hoc dixit tanquam diceret, Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non ſe dicat aut exiſtimet manducare corpus meum aut bibere ſanguinem meum.* Huc pertinet & illud Cypriani *de Cœna Domini*, vel ſaltem authoris illius *tract. Qui corde ſicci ſunt, & mente aridi ſacris interſunt vel etiam donis participant, lambunt quidem Petram, ſed inde nec mel, nec oleum ſugunt, nec Spiritus Sancti pinguedine vegetantur.*

Except. 2. *Calix dæmoniorum Paulo non eſt indigna bibitio ſanguinis Chriſti in ſacra Cœna, quod volunt adverſarij, ſed calix dæmoniorum de quo agit Paulus, convivium lætius eſt ſtructum è ſacrificiis quæ idolis immolata erant; & quibus intereſſe non poſſe Corinthios bonâ conſcientiâ & ſine Cœnæ Dominicæ contemptu, docet & demonſtrat Apoſtolus.* R. 1. Monſtra ſibi fingit Vir Doctus quæ debellet. Nemo enim noſtrûm quod ſciam tam ignarus fuit, ut neſciret quid calicis & menſæ dæmoniorum nomine intelligat Apoſtolus. 2. Quî etiam fingeremus calicem dæmoniorum eſſe *indignam bibitionem ſanguinis Chriſti*, cum negemus verè bibi poſſe ſanguinem Chriſti indignè, etiam in ſacra cœna; ſiquidem indignè accedentes, tantum *Sacramento tenus non reverâ*, ut modò dicebat Auguſtinus, bibunt ſanguinem Chriſti. 3. Ideo non poterant Chriſtiani iſtis epulis Idololatricis bonâ conſcientiâ intereſſe aut *ſine Cœnæ Dominicæ contemptu*, quod illa μετοχὴ Dæmoniorum & Idolorum ſit incompoſſibilis cum vera κοινωνίᾳ corporis & ſanguinis Chriſti, ad quam Sacramentum Euchariſtiæ ordinatur; adeoque docet & demonſtrat Apoſtolus eos excidere vero uſu & fine Sacræ Cœnæ, qui volunt in Idoleio & ex idoli conſcientia μετέχειν menſæ Dæmoniorum.

ARG. IV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

ARG. III. *Increduli rejiciunt Chriſtum cum ſuis beneficiis, ac ea-propter fieri non poteſt ut Chriſtum recipiant.*

Except. *Nihil impedire quominus, qui corde infideli Chriſtum reji-ciunt, ore in Sacramento Cœnæ, corpus Chriſti edant, & exemplo Iudæ Matt:xxvi,20.21.26. Marc:xiv,23. Luc:xxii,22. Ioh:xiii,10.11. & di-ſertis verbis Pauli 1 Cor:xi,21. quam manifeſtiſſimum eſt.* R. 1. Largi-mur Judam ediſſe panem Domini, eum qui Dominus eſt, ne-gamus. 2. Paulus ſtatuit indignè manducari hunc panem; *ore in Sacramento Cœnæ* incredulos corpus Chriſti edere, non ſomniavit. 3. Poſſunt impij *corde infideli* rejicere Chriſtum, cujus panem & vinum *ore* ſumunt in Euchariſtia; ſed *ore* ab illis præter panem, ipſum Chriſti corpus verè manducari, eſt abſurdiſſimum; cùm nulla detur ipſiusmet carnis Chriſti manducatio oralis, ſed ſpiritua-lis tantum & fidei; prout illa cibus eſt non ventris ſed mentis.

ARG. IV. *Corpus & ſanguis Chriſti non datur aliis quam pro quibus illud in mortem traditum eſt, hic autem effuſus eſt; Chriſtus vero pro ſolis fidelibus ſe in mortem tradidit Ioh:xvii,9.*

Except. *Chriſtus non pro pauculis ſed pro omnibus corpus ſuum in mor-em tradidit*; quod Brochmannus ſe alibi probaſſe profitetur. R. 1. Hîc fit μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, nec debemus nunc illud Pela-gianum pelagus de univerſalitate Gratię & Redemptionis ingredi. 2. Nos quoque alibi, nec uno loco, illud monſtrum univerſalis Redemptionis, ex Scriptura & Antiquitate, cum ſanioribus illis & doctioribus hodiernis Gratiæ patronis in Communione Roma-na qui Janſenitæ dicuntur, pleniſſimè profligavimus: Neque hîc volumus actum agere. 3. Tantiſper per συγκατάβασιν ſubſi-ſtendo in trita adverſariorum diſtinctione inter impetrationem & applicationem Redemptionis, etiam ex eorum hypotheſi ita for-mari poteſt hoc argumentum; Manducatio & bibitio corporis & ſanguinis Chriſti eſt applicatio redemptionis quæ eſt in ipſius morte & ſanguine: Atqui hæc applicatio, eſt tantum fidelium & credentium, infidelium vero neutiquam: Ergo illa mandu-

catio & bibitio corporis & ſanguinis Chriſti eſt tantum fidelium, infidelium vero & hypocritarum nullo modo. 4. Ipſe Brochmannus fines cœnæ Dominicæ enumerans *ſect. 15.* dicit *primum eſſe arctiſſimam cum Chriſto unionem & beneficiorum morte ipſius acquiſitorum participationem: Secundum recordationem ſeu ἀνάμνησιν mortis Chriſti & fidei noſtræ confirmationem.* Unde id colligo, Corpus & ſanguinem Chriſti non dari verè aliis in Cœna, quam in quibus uterque hic Cœnæ Sacræ finis poteſt obtineri: At nequit obtineri in infidelibus.

ARG. V. *Chriſtus neutiquam id facit quod ne alij faciant ſeriò prohibet. Chriſtus verò ſeverè interdixit Miniſtris ſacris, ne ſanctum darent canibus Matt: VII, 6.*

Except. *Argumentum eſt ex arena contextum; Non dandum eſt ſanctum canibus, Ergo indignis in Cœna Sacra nihil datur præter nudum panem & vinum. Nam veluti antecedens eſt verum, ita conſequens diſertè oppoſitum eſt, tum facto Chriſti dantis Iudæ integrum Sacramentum, tum verbis Pauli 1 Cor: XI, 27. 28.* R. 1. Dato antecedente optimè procedit conſequentia: Adeoque conſequens negari non poteſt. Nam ſi quæ ſacra nobis ſunt commiſſa non debemus dare canibus & porcis, adeoque nec admittere ad Sacramenta Eccleſiæ publicos & impœnitentes peccatores, quis ſibi perſuadebit Chriſtum exhibiturum *rem* Sacramentorum, quam ſolus poteſt conferre, impiis & infidelibus quos novit intus & in cute? 2. Chriſtus dedit quidem Judæ Sacramentum Euchariſtiæ, quod ejus hypocriſis adhuc lateret alios, ſed rem Sacramenti, ideſt ſuum corpus & ſuum ſanguinem, illi non dedit. 3. Verba Pauli non favere ullo modo ſententiæ adverſariorum ſæpiùs viſum; cùm hypocritæ & infideles occulti dicantur indignè edere hunc panem & bibere hunc calicem, non verò carnem & ſanguinem Domini, quæ ſemper ſunt ad vitam nunquam ad exitium iis qui eorum ſunt participes, ut ſuprà viſum ex Auguſtino. 4. Quod accipiunt indigni in ſacra cœna ſi in ſuo eſſe abſoluto & phyſico conſideretur eſt nudus panis & nudum vinum; ſed in ſuo eſſe morali, ſignificativo, reſpecti-

reſpectivo, & Sacramentali, eſt Symbolum & Sacramentum corporis & ſanguinis Chriſti. Qui tamen Sacramentum percipiunt, non illicò recipiunt rem Sacramenti: nec ad *integrum* Sacramentum recipiendum, debet recipi ipſa res ſignificata, in ſuo eſſe abſoluto, licet utcunque recipi dicatur in ſuo eſſe ſignificato, quale habet in ſuo ſigno formaliter quà ſignum eſt.

OBJECT. I. *Prius aſſertionis noſtræ de manducatione indignorum & infidelium fundamentum eſt, non minus Iudam infidelem, quam reliquos Apoſtolos fideles ediſſe corpus Domini & bibiſſe ſanguinem Domini.*

Reſp. 1. Non erat quod operoſè probaret Brochmannus, *Iudam Sacræ Cœnæ Domini interfuiſſe*; hoc enim ultrò largimur; ſed probandum erat eum *non minus* quam reliquos Apoſtolos ediſſe corpus Domini & bibiſſe ſanguinem illius. 2. Suo loco ex Auguſtino demonſtratum Judam ediſſe quidem panem Domini, reliquos vero Apoſtolos panem Dominum. 3. Æquè acceperunt omnes Symbola panis & vini, ſed rem Sacramenti Judas non obtinuit. 4. Si *non minus* quicquam hîc accepit Judas quam reliqui Apoſtoli, nullum erit diſcrimen inter dignè & indignè communicantes, quod diſcrimen agnoſci nequit, quin hoc fundamentum prius ceu omnino ficulneum corruat.

OBJECT. II. *Poſterius aſſertionis noſtræ fundamentum & quidem ſolidiſſimum nobis ſubminiſtrant hæc verba* D. Pauli 1 Cor: XI, 27. Quiſquis ederit panem hunc aut biberit poculum Domini indignè ἔνοχος ἔσται τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος τοῦ κυρίου. *Vbi oratione ſatis perſpicuâ dicitur quod indigni edant panem illum benedictum, qui eſt communicatio corporis Domini, & bibant calicem iſtum in quo continetur ſanguis Novi Teſtamenti pro nobis effuſum*; adeoque *edant etiam in hoc Sacramento corpus Domini & bibant ſanguinem Domini, ſed in damnationem, quia indigni manducando corpus Domini, rei fiunt corporis & ſanguinis Domini, non diſcernendo corpus Domini, quia non alia devotione accedunt ad hoc epulum quam ad epulum in quo vulgaris caro apponitur. ibid.* 28.29.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Reſp. 1. Aliud eſt indignos panem illum comedere qui eſt Sacramentum noſtræ communionis cum Chriſto, quod dicit Apoſtolus; aliud eos edere corpus Domini & bibere ejus ſanguinem, quod illi gratis affingit adverſarius. 2. Cum panis qui editur in Sacra Cœna, ſit duntaxat *Sacramentaliter* corpus Chriſti, (quod aſſerit ipſe Celeb. Brochmannus diſputans contra Tranſſubſtantiationem Pontificiam, his verbis; *Quod ſi cui volupe fuerit ſequi Irenæum lib. 4. adverſus hær. cap. 34. & præſtantiſſimos* Theologos, *ujos hac loquendi formâ* Panis eſt corpus Chriſti, *addenda eſt hæc ſive limitatio ſive interpretatio*, Panis ſacramentaliter eſt corpus Domini) quo ſenſu Petra deſerti *ſacramentaliter* erat Chriſtus, qui hunc panem benedictum edit oraliter, non eſt eo ipſo cenſendus oraliter carnem Chriſti deglutire. 3. Nec poculum eſt effuſum pro nobis, ſed ſanguis Chriſti; nec in poculo continetur ſanguis Chriſti pro nobis effuſus, cum ſanguis Chriſti nunc non extravaſetur; ſed ſola ſubſtantia vini, quod moraliter & ſacramentaliter eſt ſanguis Chriſti, ideſt illius Symbolum & Sacramentum. 4. Tam impoſſibile eſt edi & bibi carnem & ſanguinem Chriſti à quoquam in ſuam *damnationem*, cùm ex illo eſu & potu nihil præter vitam & ſalutem efflorescat, quam quotidianum eſt pleroſque in ſui perniciem ſumere tantæ rei Sacramentum, indignè accedentes ad menſam Domini, atque indignè edentes ex hoc pane & bibentes ex hoc calice. 5. Hic panis ex quo indignè edunt hypocritæ & hoc vinum ex quo bibunt indignè, non ſunt ſubſtantialiter caro & ſanguis Chriſti, ut neceſſariò eodem ore edatur caro Chriſti & bibatur ejus ſanguis quo panis ille & illud vinum ſumitur ac hauritur. 6. Reus eſt violati corporis & ſanguinis Chriſti, qui hæc utriusque Symbola indignè tractat, non quod corpus & ſanguis Chriſti ſint *cum*, *in & ſub* pane & vino, eodemque ore ſumantur, ſed quod in rem ſignificatam ille ſit contumelioſus, qui illius ſigna & ſymbola minus reverenter habuerit. Videatur Heb: x, 29. Id enim ſatis notum olim reos læzæ majeſtatis Cæſarum habitos fuiſſe, qui eorum ſtatuas ullo modo violaſſent. 7. Idem dicitur non diſcernere corpus Domini, quod non alio loco habeat hoc ſacrum convivium, in quo nobis diſtribuitur

buitur

buitur Sacramentum corporis Chriſti, quam alias quaſlibet epulas inter homines agitari ſolitas: cùm debuiſſet hunc panem & hoc vinum ſumere, non inſtar panis & vini communis & ordinarij, ſed uti ſunt revera inſtar Sacramenti auguſtiſſimi, ad communionem noſtram ſpiritualem cum Chriſto promovendam & obſignandam ab ipſomet inſtituti. Sic non diſcerneret ſanguinem Chriſti, qui ſacrum Baptiſmi lavacrum non alio haberet loco quam balnei ordinarij, ad ſordes corporis eluendas deſtinati. Etenim juxta Auguſtinum *lib. 3. contra Maxim. cap. 22.* in Sacramentis ſemper attendi debet *non quid ſint, ſed quid oſtendant*, atque ἐν αἰσθητοῖς τὰ νοητὰ, ut loquitur Chryſoſtomus *hom. 93. in Matt.* omninò concipienda ſunt; Ideo Juſtinus Martyr *Apol. 2.* de pane & vino Euchariſtiæ, ſic loquitur: *Non ut communem panem aut communem potum iſta ſumimus, ſed quemadmodum per Dei Verbum Caro factus eſt Ieſus Chriſtus Servator noſter, & carnem & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſâ habuit,* οὕτως καὶ τὴν δι' εὐχῆς λόγου τοῦ παρ' αὐτοῦ εὐχαριστηθεῖσαν τροφὴν (panis & vini,) ἐξ ἧς αἷμα καὶ σάρκες κατὰ μεταβολὴν τρέφονται ἡμῶν, (nec enim pane & vino ſanguis noſter & carnes noſtræ nutriuntur citra eorum immutationem phyſicam in ventriculo & venis) ἐκείνου τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρκα καὶ αἷμα ἐδιδάχθημεν εἶναι; non utique ſubſtantivè, ſed ſacramentaliter, ſignificativè & commemorativè, prout paullò poſt addit idem, ἡμεῖς δὲ μετὰ ταῦτα λοιπὸν ἀεὶ τούτων ἀλλήλους ἀναμιμνήσκομεν. Etenim ita ſunt hi cibi ſacri à communibus diſtinguendi, ut ab alia parte ſedulò ſemper diſtinguatur inter ſignum & ſignatum, ſive inter Sacramentum & rem Sacramenti: Nam ut ſcitè ait Auguſtinus *lib. 3. de Doct. Chriſt. cap. 5. ea demum miſerabilis animæ ſervitus eſt ſigna pro rebus accipere, & ſupra creaturam corpoream oculum mentis ad hauriendum æternum lumen levare non poſſe.*

Quæſt. VI.

QUæſt. VI. *An panes orbiculares & quidem ἄζυμοι ac tenues, contra Inſtitutionem Chriſti uſurpentur à Lutheranis in Cœnæ Sacræ adminiſtratione?* Poſt Theorica in ſuperioribus quæſtionibns ventilata, ſuperſunt tres Practicæ, paucis enodandæ; nec enim tales ſunt, ut propter eas deberent hoſtiliter diſſidere ac in partes ire Eccleſiæ Chriſtianæ; Facilè hæc ἡττήματα in Eccleſiis quæ Lutheranas ſe vocant, ferre poſſemus; cùm necdum in nonnullis Eccleſiis cœterà Reformatis penitùs reformari & auferri potuerint. In hac priori controverſia Practica, non tam de figura panis Euchariſtici ſumus ſolliciti, parum enim refert, panes ne fiant quadrati an rotundi, quam de illius partim veritate & natura, ut ſit panis verus, veſcus & uſualis, partim de ejus conditione, ut frangi poſſit communicantibus, juxta praxim Domini, Apoſtolorum, & totius veteris Eccleſiæ. Hoc demum reſpectu affirmantem hîc tuemur ſequentibus argumentis.

ARGUM. I. *Chriſtus uſus eſt pane grandiore*, ordinario & veſco, ex quo fregit ac diſtribuit ſingulis ſuis diſcipulis.

Except. 1. *Quanquam Chriſtus in prima illa cœna uſus eſt pane grandi, inde tamen non ſequitur indubitatâ illatione idem nobis faciendum, niſi quis velit ſacram cœnam & veſperi & in diverſorio celebrandam eſſe, quod hæ circumſtantiæ in prima Cœna inveniantur.* R. 1. A Chriſti praxi non eſt temerè & ſine gravi cauſa recedendum; An enim volumus eſſe ſapientiores ipſo? 2. Lutherani probaturi ſe benè facere quod azymum panem adhibeant, urgent maximè Chriſti exemplum: Cur ergo illud non ſequuntur in reliquo, ut ſi fermentum volunt abeſſe ab Euchariſtiâ more Judaico, panem quoque adhibeant integrum, ſolidum & veſcum, cujuſmodi ille fuit, quem Chriſtus ſuis diſcipulis diſtribuit? 3. Circumſtantiæ loci & temporis, cùm ſint externæ, non veniunt conferendæ cum natura & conditione panis in Cœna adhibendi, quoniam panis eſt de Sacræ Cœnæ eſſentia, non locus & tempus. 4. Chriſtus nos adſtrinxit ad verum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

rum & uſuarium panem ejuſque fractionem, non verò ad locum, vel ad tempus: Nam ubi ubi convenerint fideles in nomine Chriſti ad panis iſtius fractionem, ibi ſacra ſynaxis celebratur: Apoſtoli frangebant panem *domatim* Act: 11, 46. & dixit Paulus 1 Cor:xi,26. nos annunciaturos mortem Domini uſquedum veniat, *quotieſcunque* ederimus ex hoc pane & ex iſto poculo biberimus.

Except. 2. *Quinimò cum Chriſtus celebrârit primam cœnam pane azymo, idem hodie neceſſariò faciendum erit*; *quod non concedunt adverſarij*. R. Panis ille azymus verus & veſcus erat, alterius ordinis ab obeliis ſive *hoſtiis* Lutherano-Papiſticis. 2. Eo ipſo quod panis ille totâ Judæâ tunc temporis eſſet ordinarius & uſuarius, nec alius reperiretur in Azymorum feſto, exemplum hoc docet ordinarium & uſuarium panem eſſe adhibendum. 3. Ipſimet Lutherani inde probant contra Pontificios Azymitas panem azymum non eſſe hîc neceſſarium, *quod nec Euangeliſtæ, nec Paulus*, ut ipſe Brochmannus loquitur, *diſertè præcipiant uſum panis azymi in cœnæ ſacræ adminiſtratione, contenti generali mentione panis.*

ARG. II. *Panes iſti orbiculares non ſunt veri panes, quippe ad corpora alenda haud apti.*

Except. 1. *Panes iſti orbiculares ſunt veri panes, quippe habentes materiam, formam & accidentia panis.* R. 1. Non ſtatim *panis* eſt quod habet aliquid farinæ & aquæ; ſed demum ſi inde maſſa piſta & ſolida exiſtat, quod hoſtiolis iſtis non convenit, quæ fiunt ex materia non ſolida ſed merè liquida. 2. Non ſatis iſthîc eſt farinæ ad formam panis ſuſcipiendam. 3. Nuſquam hoſtiæ iſtæ panes dicuntur, ſed *nebulæ* in pharmacopoliis appellantur, & potiùs glutinis vel ceræ vices ſuſtinent quam panis. 4. Iſti fictitij panes, nec ullius ſunt vel eſſe poſſunt communiſſimus cibus, nec uſquam vel unquam apponuntur ad alios omnes cibos, ut de pane certum eſt. 5. Nec odore, nec ſapore, nec aliis accidentibus panem referunt, imò nec maſticari & dentibus frangi poſſunt.

Except. 2. *Nec refert tantos non eſſe ut nutritioni inſerviant; nam*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

ſacra cœna non eſt inſtituta ob ſatietatem & alimoniam corporis, *teſte Paulo* *1 Cor:xi,21.22.* R. 1. Debet tamen verus panis adhiberi in Cœna & qui aptus ſit nutrire, quod iſtis minutiis numulariis non convenit: Nam *panis* dicitur à *paſcendo*. 2. Si quod adhibetur in Cœna non tale ſit ut nutritioni corporeæ queat inſervire, non poterit nutritionem noſtram ſpiritualem manducatione ſpirituali carnis Chriſti ſignificare. 3. Quamvis in Cœna non tantum ſit ſumendum panis ut inde corpus ſatietur, attamen talis debet eſſe panis ex quo ſolet nutriri & ſatiari corpus.

ARG. III. *Paulus jubet ut in Cœna ſacra de uno pane participemus 1 Cor: x,17. quod mandatum non poteſt ſervari niſi in Cœna Sacra uſurpetur grandis panis in fruſta comminuendus.*

Except. 1. *Vnitas panis cujus meminit Apoſtolus 1 Cor:x, 17. non conſiſtit in unitate maſſæ, ſed uſus Sacramenti: alioqui unitas myſtica & communio ſanctorum, non eſſet inter illos qui locis disjuncti de uno pane benedicto edere non poſſunt.* R. 1. Saltem debet inter omnes Eccleſias, unus naturâ & ſpecie panis adhiberi: Sed hoſtiæ Papiſtico-Lutheranæ, non ſunt ejuſdem naturæ & ſpeciei cum pane inter alios Chriſtianos, etiam Abyſſinos & Græcos, ad ſacram Cœnam adhiberi ſolitos. 2. Ut ſpecificè unus panis, inter varias Eccleſias communionem ſanctorum obſignat, & requiritur ad conteſſerationem hoſpitalitatis, fraternitatis appellationem, ac communicationem pacis, *quæ jura*, inquit Tertullianus, *non alia ratio regit quam ejuſdem Sacramenti una traditio*, ita in ſingulis Eccleſiis eodem meliùs facit unius numericè panis diſtributio.

Except. 2. *Vnum eſt baptiſma omnium Chriſtianorum Eph: iv, 5. nec tamen omnes unâ luſtrantur aquâ.* R. 1. Non procedit ratio à Baptiſmo ad Cœnam: Nam quilibet ſeorſim ſibi baptizatur; ſed omnes unà convivantur in Cœna; adeoque ex uno eademque pane participare debent. 2. Unâ quoque aquâ ſpecificè omnes luſtrantur; Sed neque numericè inter ſe neque ſpecificè cum aliis Chriſtianis eodem veſcuntur pane, qui habent loco panis iſtas numularias hoſtias; ut ſi quis arenam vel fumum, loco aquę in Baptiſmo adhiberet.

ARG. IV.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

ARGUM. IV *Panes iſti orbiculares, quos hoſtias vocant, è Papatu ortum trahunt.*

Except. 1. *Orbicularium iſtorum panum quibus in Cœna adminiſtratione utimur in noſtris Eccleſiis meminit Clemens epiſt. 2. circa annum Chriſti 80. Epiphanius in Anchor. circa annum Chriſti 390. Chryſoſtomus circa annum Chriſti 380.* R. 1. Nec Epiphanius nec Chryſoſtomus talium obeliarum meminerunt, cùm ſemper Græci uſi ſint in Euchariſtiæ uſu pane ordinario & fermentato, unde & Fermentarij à Latinis per contumeliam!, ut hi à Græcis *Azymitæ*, appellati fuerunt. 2. Laudatur in genere Chryſoſtomus, ſed ubi harum obeliarum meminerit, ipſe Brochmannus oblitus eſt annotare: nec etiam Joannes Gerhardi, vel Eckardus, provocarunt unquam hac in cauſa ad Chryſoſtomum. 3. Epiphanius *in Anchoratu*, appellat panem Euchariſtiæ στρογγιλοειδῆ, & ἀναίσθητον; dicitur ei ἀναίσθητος, non quod ſit ita tenuis ut ſenſu non percipiatur, ſed quod ſenſu careat; dicitur στρογγιλοειδὴς, quod panes haberent olim teretes & oblongos, cylindri inſtar, prout erat tum panum ordinariorum figura ordinaria, quæ etiamnum hodie multis in locis retinetur. Quærit Epiphanius quomodo rectè dicatur homo conditus ad imaginem Dei, cùm non ſit Deus, neq; Spiritus, neq; habeat in ſua natura quæ habet Deus; Reſpondet quod licet homo non habeat Dei eſſentiam, nec ſit Spiritus, aut inviſibilis ut Deus; ex gratia tamen aliquas proprietates à Deo eſt conſecutus, quibus ex parte aliqua Deum refert, & propter quas appellatur imago Dei; quod declarat exemplo Sacræ Cœnæ his verbis; *Et quot ſunt quæ ſimilia ſunt? Videmus enim quod accepit Salvator in manus ſuas, veluti Euangelium habet, quod ſurrexit ex cœna & accepit hæc, & ubi gratias egiſſet dixit hoc meum eſt hoc & hoc;* καὶ ὁρῶμεν ὅτι οὐκ ἴσος ἐστι, οὐδὲ ὅμοιον οὐ τῇ ἐνσάρκῳ εἰκόνι, οὐ τῇ ἀοράτῳ θεότητι, οὐ τοῖς χαρακτῆρσι τῶν μελῶν. τὸ μὲν γάρ ἐστι στρογγυλοειδὲς, *formæ rotundæ,* καὶ ἀναίσθητον ὡς πρὸς τὴν δύναμιν, *& quoad vires ſenſu deſtitutum;* καὶ ἠθέλησεν χάριτι εἰπεῖν τοῦτό μου ἐστὶ τόδε: Unde vult colligi, panem non ſubſtantiâ ſed gratiâ fieri corpus Chriſti, ejuſq; eſſe Sacramentum & jmaginem, licet ejus ſubſtantiam non habeat,

nec divinitatis nec humanitatis reſpectu. 4. Clemens fruſtrà hic vocatur ad partes, cùm nec Epiſtolæ illæ decretales Clementis ſint genuinæ, ut fuſè oſtenſum à Blondello *in Pſeudo-Iſidoro & Turriano Vapulant.* & doctiores omnes hodie agnoſcunt; & nihil de iſtis orbicularibus panibus habeat Pſeudo-Clemens, qui vult inſtituere Jacobum fratrem Domini de ſuo officio; ſed è contrario ſtatuit Clericos debere *cum timore & tremore reliquias fragmentorum corporis Chriſti cuſtodire*, atque *reſidua corporis Domini quæ in ſacrario relicta ſint conſumere*; meminit *Dominicæ portionis* quæ à quoque comeditur; prohibet *ne excommunicato* vel *laico de fragmentis oblationum Domini ponatur ad menſam*; quæ omnia procul abſunt ab iſtis hoſtiis & obeliis. 5. Certum eſt has prætenſas hoſtias, ejus naturæ & formæ, excogitatas fuiſſe à Patronis Tranſſubſtantiationis in Papatu, ut quominus habent ſoliditatis, eo magis perſuadeatur popello nihil ibi panis ſupereſſe, ſed mera accidentia ſine ſubjecto, quibus digni ſunt qui unicè veſcantur, quotquot ea audent propugnare.

Except. 2. *Quanquam non neſciamus orbicularem illum panem Euchariſticum, à Pontificiis vocari* Hoſtiam, *quia Cœnam in ſacrificium expiatorium mutarunt, hoc tamen non impedit quominus panis Euchariſticus à nobis appelletur hoſtia, ſaltem quia medium eſt quo utitur Deus in communicando nobiſcum corpore Chriſti vera pro peccatis mundi hoſtia.* R. 1. Id nominis pani Euchariſtico nuſquam datur in Scriptura, adeoque hæc nomenclatura eſt ἄγραφος. 2. Vitioſam habet originem ex putido errore Sacrificij Miſſatici, adeoque non deberet retineri. 3. Hæc nova iſtius nominis ratio cujus meminit Cel. Vir, in illius crura recidit; Nam etiam *hoſtiæ* in plurali, iſti panes fictitij dicuntur, cum tamen unicam habeamus hoſtiam apud Deum, nempe Chriſtum. Tum quoq; *hoſtiæ* appellantur ante & extra uſum Sacramenti, adeoque quo tempore vera noſtra hoſtia non poteſt ſtatui eſſe *in cum & ſub* illis. Denique nequit illa ſpuma panis dici *hoſtia* aliter quam ſacramentaliter & ſignificativè; & ex conſequenti eodem ſenſu panis corpus Chriſti appellatur.

OBJ. I.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

OBJECT. I. *Noſtræ Eccleſiæ quanquam non movent ulli Eccleſiæ litem quod grandioribus & craſſis utatur panibus in Cœnæ ſacræ adminiſtratione, tamen negant neceſſarium eſſe ut in Cœnæ Sacræ uſu panes fermentati, craſſi & grandes adhibeantur, quia Chriſtus panibus uſus eſt* ἀζύμοις.

Reſp. 1. Si exemplum Chriſti obligat Lutheranos ad panes azymos, etiam deberet eos obligare ad panes craſſos & grandiores. 2. Non obligamur ad panes azymos exemplo Chriſti, quia ex accidenti factum eſt quod azymum panem propter feſtum, & quod alius non extaret, adhibuerit: ſed ejus exemplo obligamur ad panem verum, ordinarium, uſuarium & nutritivum, cujuſmodi non ſunt iſtæ prætenſæ hoſtiæ. 3. Si non malè faciunt Eccleſiæ qui verum panem adhibent exemplo Chriſti, cur ergo ſuas hoſtias tantopere propugnant Lutherani, imo alijs obſtruſas vellent? Annon ſatius fuiſſet eas Papiſtis relinquere?

OBJ. II. *Panes orbiculares ſunt veri panes, conſtantes ex optima farina & aqua inter ſe mixtis.*

Reſp. 1. Non ſunt veri panes, nec re, nec uſu, nec guſtu, nec formâ, nec nomine. 2. Nec quicquid conſtat ex farina & aqua inter ſe mixtis, panis eſt. Nam etiam ex farina & aqua inter ſe miſtis puls fieri poteſt. 3. Debet farina aquâ mixta pinſi, ſubigi, ac redigi in maſſam ſolidam, & igne excoqui ut fiat panis; & ad id requiritur ea copia farinæ quæ in iſtis hoſtiis non adhibetur.

OBJ. III. *Magis accommodi ſunt tenues iſti panes uſui ſacro quam craſſi illi & cibarij panes, quod comedi poſſint à ſenibus pariter & iuvenibus, ab ægrotis pariter & ſanis.*

Reſp. 1. Mirum eſt hanc commoditatem his ultimis demum temporibus potuiſſe reperiri, nec obſervatam fuiſſe Chriſto, Apoſtolis, Antiquitati univerſæ. 2. Volatiles iſtæ nebulæ panes non ſunt; nec uſui Sacramentali aptæ, ad quem præter Scrip-

turam; analogia ſigni ad rem ſignatum requirit ſolidum, nutritivum & verum panem. 3. Si quæratur quod deglutire poſſint facile juveneſque ſeneſque, fiat puls ex farina & aqua; nam ex iſtorum hominum ſententia erit verus panis coctus, quia puls illa coquetur *ex optima farina & aqua inter ſe miſtis.*

OBJ. IV. *Chriſtus in Inſtitutione Cœnæ abſolutè meminit panis; non præſcribens fermentatus an* ἄζυμος, *craſſus an tenuis, orbicularis an oblongus, aliâ-ve formâ eſſe debeat.*

Reſp. 1. Hoſtiæ iſtæ tenues, panes non ſunt, ut modò viſum: panem vero præſcripſit Chriſtus. 2. Eo quod nec fermentatum nec ἄζυμον præſcripſit, fruſtrà ejus exemplo Azymitæ & Lutherani nituntur. 3. Et cùm abſolutè meminerit panis, ordinarius ergo & quo ſolent homines veſci eſt adhibendus, adeoque eliminandę iſtæ Hoſtiæ Papiſticę, quę nec uſum, neque naturam, neque nomen habent panis inter homines.

QUæſt. VII. *An Symbola Euchariſtica manu neceſſariò ſumenda ſint?* Affirmativam tuemur, non quod ibi non ſit ſacra Cœna ubi Symbola ingeruntur in os communicantium à Miniſtris, ſed quod ibi ſacra Cœna minùs decenter & convenienter Inſtitutioni & mandato Chriſti celebretur: ut patet ex ſequenti argumento.

ARGUM. *Chriſtus ipſe dixit Accipite, comedite, Hoc eſt corpus meum.*

Except. 1. *Verbum* λάβετε, *quo uſus eſt Chriſtus laxiſſimi eſt ſignificati, ita ut ambitu ſuo non tantum ſumptionem quæ fit manu ſed etiam quæ fit ore deſignet.* R. 1. At de ſumptione in manus ſumitur in verbis Chriſti. Nec enim in os diſcipulorum injecit Symbola ſacra, ſed illis in manus tradidit. 2. Agitur de ſumptione ciborum quæ fit in convivio alio miniſtrante: nullus verò eſt convivarum qui aliter

aliter quam manu accipiat quæ illi ab alio aſſidente miniſtrantur. 3. Ita Apoſtoli acceperunt panem ut calicem: Hunc vero ſumpſerunt in manus; Ideo dicebat Chriſtus Luc: XXII, 17. poculum porrigens diſcipulis, λάβετε τοῦτο καὶ διαμερίσατε ἑαυτοῖς. 4. Inolevit mos ille ingerendi Symbola in os ex Traditione Pontificia de Tranſſubſtantiatione: Siquidem priuſquam obtineret, ſolemne erat communicantibus in Veteri Eccleſia manu ſua Symbola excipere, imo quandoque partem eorum domum deferre ſecum.

Except. 2. *Marc: xv, 23. dicitur datum eſſe Chriſto vinum myrrhatum & non accepiſſe, ſeu, ut verbum Euangeliſtæ uſurpem,* καὶ οὐκ ἔλαβε. *Et Ioh: xix, 29. 30. ſcribitur* πλήσαντες σπόγγον ὄξους προσήνεγκαν αὐτοῦ τῷ στόματι. ὅτι οὖν ἔλαβε τὸ ὄξος ὁ Ἰησοῦς, εἶπε τετέλεσται. *Vbi* τὸ λαμβάνειν *uſurpatur de ſumptione quæ fit ore.* R. 1. Non negamus etiam id ſumi quod ore ſumitur, ſed ubi τὸ *ſumere* ab ipſo *edere* & *bibere* ceu prævium diſtinguitur, ſumptio in manum debet intelligi. 2. Nihil eſt cur Marc: xv, 23. non intelligatur ſumptio in manus: Recuſavit Chriſtus in manus ſumere & conſequenter ori admovere ebibendum vinum myrrhatum quod ei offerebatur, quia volebat ſentire ſe mori, & luctari animo præſenti & integrâ mente contra mortem. 3. Circumſtantiæ loci alterius oſtendunt ſumptioni in manus iſthic non fuiſſe locum, cum cruci Chriſtus affixus eſſet, & diſertè dicatur hoc acetum ejus ori admotum fuiſſe.

OBJECT. I. *Vitandus eſt error Pontificiorum, qui nefas ducunt Laico fideli Euchariſtiam in manus tradere; quaſi magis prophanetur corpus Domini, acceptum mauu quam ſumptum ore Laici.*

Reſp. Eundem errorem practicè fovent Lutherani, etſi eum theoreticè rejicere videantur.

OBJ. II. *Numeramus hunc ritum inter res adiaphoras, ſed ita ut Eccleſiæ in qua vivitur conſuetudine hîc ſtandum ſit.*

Reſp. I. Lutherani azymum panem præferunt fermentato, nixi

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

nixi, uti ſibi videntur, exemplo Chriſti; Cur ergo exemplum Chriſti hîc deſerunt, & malunt hunc *ritum* Pontificium ſequi, quam quod ipſe Dominus ſuo exemplo & mandato tam luculenter ſancivit? 2. Non eſt res ſimpliciter adiaphora aliter facere quam Chriſtus ſuis diſcipulis mandavit ut facerent. 3. Etiam *inter res adiaphoras*, ille *ritus* potiùs eſſet ſervandus, qui nititur exemplo Chriſti, Apoſtolorum, & ſanioris Antiquitatis, quam ille quem vana ſuperſtitio introduxit in mundum. 4. Malæ conſuetudines debent potiùs mutari, quam pertinaciùs defendi & retineri. *Conſuetudo ſine Veritate vetuſtas erroris eſt*, inquit Cyprianus *ad Pompejum*; & *ad Cæcil. Si ſolus Chriſtus audiendus eſt, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putaverit, ſed quid qui ante omnes eſt Chriſtus prior fecerit; Neq; enim hominis conſuetudinem ſequi oportet, ſed Dei veritatem; cùm per Eſaiam Prophetam Deus loquatur & dicat, Sine cauſa autem colunt me mandata & doctrinas hominum docentes.*

Quod tam levi brachio hanc quæſtionem pertractemus, ipſe Celeb. Brochmannus, cujus voluimus veſtigiis inſiſtere, in cauſa eſt; nam ubi hanc proponit quæſtionem *cap. 9. quæſt. 21.* reſpondet uno verbo ſe eam expediviſſe *præced. cap. ſect. 8.* At in illa *ſect. 8.* hæc tantum habet quæ modò expendimus, & promittit ſe viſurum *capite proximè ſequenti*, ideſt hoc 9. *quibus argumentis contrariam* ſuæ *ſententiam propugnent* noſtri: Ita dum *cap. 9.* remittit ſuos Lectores ad *ſectionem 8. cap. 8.* & eâ ſectione ad ea quæ dicturus ſit ſequenti *cap. 9.* corvos deluſit hiantes, & huic certamini providè ſe ſubduxit.

QUæſt. VIII. *An fractio panis in Sacramento Cœnæ ſit circumſtantia neceſſaria ac idcirco omninò retinenda?* Ad invidiam tantum nobis conflandam ſpectat quod Vir Doctus Photinianos noſtris conjungit in aſſertione hujus theſeôs, in qua etiam nobis imputat quod hanc fractionem faciamus *eſſentialem*, adeo ut Sacramentum ſine illa eſſe nequeat; cùm tantum nobis ſit circumſtantia neceſſitate præcepti ſervanda,

& abſque

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

& abſque qua Sacramentum minus benè, plenè ac decenter adminiſtratur; Non eſt itaque fractio panis de eſſentia Sacramenti vel adminiſtrationis ejus; ſed eſt de integritate, perfectione, plenitudine & decentia adminiſtrationis iſtius. Quod ſic explicatum reformatoque ſtatu quæſtionis, quam ita propoſuerat Brochmannus, *An fractio panis Sacramento Cœnæ eſſentialis ſit, ac idcirco omninò neceſſaria?* nititur firmiſſimis argumentis.

ARGUM. I. *Chriſtus fregit panem, atteſtantibus Euangeliſtis Matt: xxvi, 26. Marc: xiv, 22. Luc: xxii, 19. & Paulo 1 Cor: xi, 14.*

Except. 1. *Chriſtum in prima cœna fregiſſe panem, concedimus; ſed inde certò confici negamus panem in Cœna ſacra ſemper à Miniſtro verbi frangendum eſſe: Nam ſi omnes circumſtantiæ primæ Cœnæ ſervandæ eſſent, & Hieroſolymæ celebranda, & nonniſi 12. adminiſtranda, & veſperi peragenda, & agni Paſchalis eſui ſubjungenda eſſet.* R. 1. Nihil tutius agi poteſt à Miniſtro in Sacra Cœna, quam quod Chriſtum feciſſe in confeſſo eſt; maximè cùm id ipſum quod fecerat, nos juſſerit facere. 2. Circumſtantiæ externæ loci & temporis, de quibus jam ſuprà dictum, nec Sacramentales fuerunt, nec debent conferri cum actione ipſa formaliter ſacramentali Chriſti, inter celebrandum & adminiſtrandum Sacram Cœnam adhibita.

Except. 2. *Chriſtus fregit panem, non ut frangendi ritum tanquam Cœnæ ſacræ eſſentialem præſcriberet, ſed ut grandiorem panem, non ſcindi ſed frangi ſolitum, quo tum temporis Iudaico more utebatur, ad commodam diſtributionem præpararet.* R. 1. Monuimus ſuprà latebras non debere quæri in voce *eſſentialis:* Siquidem neceſſariam quidem ad benè eſſe & Sacramentalem hanc fractionem contendimus, non tamen neceſſariam ſimpliciter ad eſſe, ſive *eſſentialem* ipſi Sacramento. 2. Chriſtus fregit panem, non tantum actione phyſicâ pro more tum recepto, juxta illud Judaicum quod ex *Orach Chaijm num. 167. §. 14.* citat Buxtorfius *Diſſ. de Cœna Dom. n. 19. Si omnes comedant de pane uno, tum paterfamiliàs frangens panem, dat unicuiq; partem ſuam antequam comedat,* ſed etiam actione myſticâ & Sacramentali ac ſignificativâ fractionis corporis ſui, adeoque neceſſariò retinendâ.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

ARGUM. II. *Chriſtus diſertè præcepit in Sacra Cœna, hanc panis fractionem inquiens, Hoc facite.*

Except. 1. Quid in Cœna ſacra præceperit Chriſtus, exprimit ipſe his verbis; λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. *Vbi nulla* κλάσις *mandatur.* R. Illud τοῦτο ποιεῖτε, refertur ad totum id quod factum eſt à Chriſto, non ſolum ad id quod factum eſt ab Apoſtolis: Aliàs nullum accepiſſent mandatum de Sacra Synaxi aliis diſtribuenda.

Except. 2. *Verba hæc,* Hoc facite, *non ad fractionem, ſed ad manducationem & bibitionem, aſt talem quæ cum commemoratione mortis Domini conjuncta ſit, referri debere, teſtis omni exceptione major eſt D. Paulus inquiens,* Quotieſcunque panem hunc manducaveritis & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis donec venerit. R. Ut hæc verba reſpiciunt manducationem & bibitionem à parte communicantium, ita diſtributionem & fractionem ſpectant à parte Miniſtrorum; qui itidem ex illis ſatis intelligunt ſe obligari ad εὐλογίαν & εὐχαριστίαν, ad exemplum Chriſti.

Except. 3. *In promptu eſt cauſa ob quam verbum* Facite *non poſſit nec debeat ad fractionem referri, nimirum quia Apoſtoli in prima illa Cœna ſuſtinebant partes, non miniſtrorum ſacrorum, ſed communicantium.* R. 1. Suſtinebant etiam partes Miniſtrorum olim futurorum ejuſdem Sacramenti, & quorum foret facere erga populum fidelium communicantium, quod erga ſe videbant factum à Domino. 2. Huc pertinet quod habet Humbertus contra Nicetum Monachum, citatus Caſſandro *in Liturg. cap. 29. Ipſum Dominum legimus, non imperfectam ſed perfectam commemorationem ſuis diſcipulis tradidiſſe, pane benedicto, & mox fracto atq; diſtributo. Non enim benedixit tantum & reſervavit frangendum in craſtinum; nec fregit tantum & repoſuit, ſed fractum ſtatim diſtribuit: Vnde B. Alexander Martyr & Papa quintus ab Apoſtolo Petro, paſſionem Domini inſerens Canoni Miſſæ ait, Hoc quotieſcunque feceritis, ideſt benedixeritis, fregeritis, & diſtribueritis, in mei memoriam facietis, quia ſi quodlibet horum trium ſine reliquis fiat, aut benedictio ſine fractione & diſtributione, perfectam memoriam non repræſentat, ſicut diſtributio nulla ſine benedictione & fractione.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

ARGUM. III. *Verbum Frangendi poſitum invenitur inter verba alia Cœnæ eſſentialia*, (ſive neceſſaria) *videlicet* εὐλογήσας καὶ ἔδιδου: *Probabile verò non eſt ritum adiaphorum ſtatui medio loco inter res omninò neceſſarias.*

Except. *E` ſitu & poſitu vocum non texitur certum argumentum, niſi oſtendatur omnia quæ junguntur mandari ut æquè neceſſaria; quod nondum demonſtrarunt adverſarij.* R. Sed nullâ conjecturâ poſſumus aſſequi cur concedatur mandata benedictio quæ præcedit, & diſtributio quæ ſequitur, verum in medio relicta ſtatuatur fractio quæ interponitur, cùm tamen ſacram & myſticam ſignificationem evidenter habeat; quò ducit Chriſtus cùm ait, referente Paulo 1 Cor: xi, 24. *Hoc eſt corpus meum* τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον; *quod pro vobis frangitur*, vel *fractum eſt.*

ARG. IV. *Apoſtoli adminiſtraturi Cœnam ſtudioſè obſervarunt fractionem panis Act: 11, 42. xx, 7.*

Except. *Loca hæc non agunt de Coena Dominica.* R. 1. Multi Interpretes repugnant huic exceptioni, & Syrus utrobique habet nomen האוכרסטיא, *Eucbariſtia.* 2. Illa fractio panis utroque loco conjungitur cum aliis ſacris Pietatis exercitiis; quare & ad ea pertinet. 3. Quia plerumque ſacra Cœna conjungebatur cum aliis illis epulis quæ *Agapæ* dicebantur, quarum meminit Judas com. 21. mirum non eſt quod earum unà reſpectu, de piis Apoſtolicæ Eccleſiæ dicatur quod frangentes panem *domatim*, κατ' οἶκον, *ſumebant cibum cum exultatione & ſimplicitate cordis* Act: 11, 44. Sic ex 1 Cor: xi, 20. 21. 22. colligitur apud Corinthios etiam paſtum ordinarium cum hoc ſacro Epulo conjunctum fuiſſe. 4. Etſi ſolita naturæ refectio appelletur Hebraicè *fractio panis* Eſ: LVIII, 7. id non impedit quominus potuerit id nominis transferri ad convivium Dominicum. 5. Κοινωνία illa quâ pij Act: 11, 42. dicuntur perſeveraſſe τῇ διδαχῇ τῶν ἀποστόλων καὶ τῇ κοινωνίᾳ καὶ τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου καὶ ταῖς προσευχαῖς, non tam pertinet ad *communitatem bonorum*, quæ commemoratur com. 44. quam ad pauperiorum ſubventionem,

 eò col-

eò collatis ab unoquoq; nummis quantum expediebat ex ſuis facultatibus; quoſenſu dicit Paulus Heb: x i i i, 16. non debere nos ob- Eſt enim τῆς εὐποιΐας καὶ κοινωνίας, quòd talibus victimis delectetur Deus; liviſcitalis κοινωνία, pars exercitiorum ſolemniorum Pietatis, ut liquet etiam ex 1 Cor: xvi, 1. ubi ea præcipitur peragenda die Dominico, ad ſacros conventus inſtituto. 5. Quod ſi retineatur Syri verſio, quod *communicantes erant in oratione & fractione Euchariſtiæ*, imò Vulgata Verſio, quâ dicuntur perſeveraſſe *in communicatione fractionis panis & in orationibus*, fortiùs adſtruetur hic agi de Sacra Cœna; ſiquidem *panis quem frangimus* appellatur κοινωνία *corporis Chriſti* 1 Cor: x, 16. 6. Multo minus ſtatui poteſt locum Act: xx, 7. pertinere *ad epulum vulgare*; cùm ille conventus inſtitutus eſſet die ſacro, nempe die Dominico ſive primo Septimanæ, & in ſuperiori cœnaculo ſilentij majoris gratiâ haberetur, & Paulus in multam noctem diſſereret de Verbo & myſteria Euangelij exponeret. 7. Quod itidem dicitur com. 11. Paulum poſt Eutychi ſuſcitationem aſcendiſſe in cœnaculum & ibidem fregiſſe panem & guſtaſſe, indicat tantum quod Apoſtolico tempore, cibi quotidiani uſus cum myſteriorum celebratione conjungebatur.

ARGUM. V. *Tota Euchariſtia ab hoc ritu vocatur fractio panis iisdem locis.*

Except. *Sacramentum hoc vocatur etiam à tempore inſtitutionis, Cœna Dominica; An inde concludemus tempus veſpertinum huic Sacramento eſſentiale eſſe?* R. 1. Cœna dicitur hoc Sacramentum, non tantum à tempore inſtitutionis, quod poſt cœnam Paſchalem illud Dominus inſtituerit, ſed etiam quod ſit ſolemne epulum quæ Græcis δοχὴ dicitur, cujuſmodi frequentiùs in cœna quam in prandio apud veteres parabatur, ut obſervatum Caſaubano *Exerc. 16. in Bar. ſect. 31.* 2. Nec Apoſtoli, nec Eccleſia vetus, intellexerunt neceſſariò tempus veſpertinum aſſignatum à Chriſto huic celebritati, quæ & ἄριστον ſive prandium, & δεῖπνον ſive cœna ſimul dicitur ab Authore veteris Tragoediæ, quæ *Chriſtus patiens*

inſcribi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

inſcribitur, ſive is fuit Apollinaris, ſive Gregorius Nazianzenus, μύσταις ἄειστον παραθεὶς, δεῖπνον μέγα; ſed fractionem à Chriſto uſurpatam conſtanter retinuerunt: Unde Ignatius *in epiſt ad Epheſios*, (ſive is verus ſit Ignatius, ſive non, parum refert ad hanc cauſam,) ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅ ἐστι φαρμάκον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ θανεῖν; & in *epiſt. ad Philad.* εἷς ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη; θρύπτεσθαι enim eſt propriè comminui, ſive frangi in partes minutas; quo ſenſu etiam Auguſtinus uſus eſt verbo *comminuendi, epiſt. 59. Cùm illud quod in Domini menſa benedicitur & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur.* 3. Eouſque neceſſaria & myſtica ab ævo credita fuit hæc fractio, ut etiamnum in Papatu Sacrificulus conſecrans, hoſtiam frangat in tres partes; & in officio Moſarabico Gotthorum, fractio fiebat in novem portiones, quod novem hiſce nominibus exprimeretur tota Chriſti Hiſtoria; *Corporatio, Nativitas, Circumciſio, Apparitio,* (Epiphania aliàs ſolet dici) *Paſſio, Mors, Reſurrectio, Gloria, Regnum.*

ARG. VI. *Fractio panis integri in plures particulas commonefacit Chriſtianos de ſpirituali communicantium cum eodem capite Chriſto conjunctione, & in unum corpus myſticum coalitione, 1 Cor:x,16.17.*

Except. *Vnitas panis benedicti cujus meminit Apoſtolus, non in unitate maſſæ conſiſtit, ſed in unitate Sacramenti.* R. 1. De hac exceptione dictum eſt *ad quæſt. 6. arg. 3.* 2. Paulus non meminit tantum unius panis, ſed unius panis qui *frangitur* pluribus. 3. Modò audivimus Ignatium ex unius panis Euchariſtici fractione in ſingulis Eccleſiis, colligere poſt Paulum concordiæ & dilectionis mutuæ argumentum inter membra eorum. Haud pigebit autem quæ habet in *epiſt. ad Philadel.* prolixiùs referre. *Scribo ad uos moneoq; ut unâ fide, unâ prædicatione, unâ Euchariſtiâ utamini: una enim eſt caro Domini noſtri Ieſu Chriſti, unus illius ſanguis qui pro nobis effuſus eſt. Vnus item panis, omnibus confractus, & unus calix, qui omnibus diſtributus eſt:* & paullò poſt; *Vos itaque oportet ut populum peculiarem & gentem ſanctam omnia perficere concordibus animis in Chriſto.* Sic *in epiſt. ad*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Epheſ. Omnes nominatim congregamini in una & communi fide Dei Patris & Ieſu Chriſti unigeniti illius filij, juxta carnem vero ex genere David, ducem ſequentes Paracletum, obedientes Epiſcopo & Presbyterio mente indivulſa, frangentes panem unum quod pharmacum immortalitatis eſt &c. 4. Ipſe locus Pauli 1 Cor:x,16.17. pro hac fractione ita militat, ut maluerit eum declinare Celeb. Brochmannus, quam attingere. *Panis quem* FRANGIMUS, *nonne communio corporis Chriſti eſt? Quoniam unus eſt panis, unum corpus multi ſumus, nam omnes de uno pane participamus.*

ARGUM. VII. *Ritus hîc conſolatione eſt pleniſſimus; quia monet Chriſtum tam certò pro nobis crucifixum eſſe quam certò videmus panem frangi.*

Except. *Non in panis fractione, ſed in corporis Chriſti per panem fractum, ſeu diſtributum ac benedictum, communicatione, ſolida eſt conſolatio, teſte Chriſto Matt:xxvi,28.* R. 1. Diſtributio ac benedictio panis Euchariſtici non debet confundi cum fractione, cùm hæc tria tam expreſſè diſtinguantur in Euangelio. 2. Ad illam corporis Chriſti pro nobis traditi & fracti commemorativam *κοινωνίαν*, & conſolationem ex ea, non tantum facit manducatio panis, ſed & illius fractio, quatenus in ſua myſtica & ſacramentali ſignificatione conſideratur.

ARG. VIII. *Repræſentantur hac fractione paſſionis dolores & ſeparatio animæ à corpore 1 Cor: xi, 24.*

Except. 1. *Fractione panis non repræſentatur corporis Chriſti in cruce fractio.* R. 1. Contrarium teſtatur Apoſtolus loco citato. 2. Aliter ſenſit ab ævo Eccleſia Chriſtiana: quò maxime pertinet locus ex Proſpero citatus Gratiano *diſt. 2. de Conſec. Cum frangitur hoſtia, dum ſanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio, ejuſq; ſanguinis de latere effuſio deſignatur?*

Except. 2. *Chriſtus & Apoſtoli nil niſi communem cibum diſtribuentes panem fregerunt Matt: xiv, 19. Marc:vi,41. Luc:ix,16. Act:xxvii,35.*

R. 1. In

R. 1. In communi cibo, fractio ut manducatio fuit communis: Sed myſtica eſt in cibo ſacramentali. 2. Hac ratione, etiam diſtributio & manducatio imò ipſa benedictio panis Euchariſtici deſinet eſſe Myſtica, cum ſimilia occurrerint in cibo communi, licet non ad uſum ſimilem.

Except. 3. *Nullibi in univerſis Scripturis myſticus hic fracti panis ſenſus affertur.* R. Imò diſertè 1 Cor:x,16. & xi,24. ut ſuprà viſum.

Except. 4. *Negat Scriptura corpus aut crura Chriſti in cruce fracta eſſe Ioh: xix, 35.* R. 1. Crura & oſſa fracta negat Johannes, corpus non. 2. Paulus diſertè ſic habet 1 Cor:xi,24. Chriſtum eâ nocte quâ proditus eſt accepiſſe panem, *& gratiis actis* FREGISSE *ac dixiſſe, Accipite, Hoc eſt corpus meum quod pro vobis* FRANGITVR. Quis ergo non videat fractionem panis, ad corporis Chriſti fractionem ſignificandam ex profeſſo referri? 3. Negari nequit corpus Chriſti fractum fuiſſe doloribus, vulneribus, ipſâ morte, per quam anima à corpore revulſa & ſeparata fuit. 4. Apud Eſaiam LIII, 5. Chriſtus dicitur *attritus ab iniquitatibus noſtris.* 5. Benè Chryſoſtomus citatus etiam Cornelio à Lapide *ad 1 Cor: 11. n. 163. Fractio corporis in Sacramento ſignificatio eſt paſſionis & fractionis in cruce.*

Except. 5. *Fractio panis adhibita fuit ut panis diſtribui, accipi & comedi poſſet.* R. Non ſolum eum in finem, ſed etiam ut haberet myſticam & ſacramentalem ſignificationem mortis Chriſti.

ARG. IX. *Ritu fractionis ſolidè confutatur falſa latentis corpuſculi ſub cruſtulo panis & oralis manducationis opinio.*

Except. *Nullam agnoſcimus corporis Chriſti in pane incluſionem, nec ullam probamus* μετουσίαν, παρουσίαν, συνουσίαν, *ad quod etiam commentum refellendum validioribus opus eſt argumentis; Oralem autem manducationem quo ſenſu & quâ veritate defendamus,* inquit Brochmannus, ante viſum. R. 1. De orali manducatione nos quoque ſatis ſuprà diximus, nec lubet hanc crambem recoquere. 2. Quomodo non includatur pane Chriſti corpus, quod dicitur eſſe *in, cum, ſub* pane per conſecrationem, ita ut *in, cum, ſub* illo oraliter man-

ducetur

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

ducetur, equidem quoad nos non videmus, ut nec qui μεθουσίαν, παρουσίαν, συνουσίαν, non defendant Græcè, qui Latinè ſubſtantialem, ut amant loqui, & loco indiſtantem præſentiam corporis Chriſti, non quoad illius eſſe ſignificatum, morale & ſacramentale, ſed quoad illius eſſe phyſicum, abſolutum & reale, IN, CUM ET SUB PANE propugnant, Adeoque Proteſtatio contraria facto nihil operatur. 3. Si bonâ fide id proteſtentur Doctores Communionis Lutheranæ cum Brochmanno, poſſumus hac in parte de pace tranſigere; nam qui μεθουσίαν, παρουσίαν & συνουσίαν indiſtantem loco, corporis Chriſti in Euchariſtia tanquam *commentum* reſpuit, is ſanè niſi valde crypticè loquatur, nobis videtur Conſubſtantiationi & præſentiæ loco indiſtanti corporis Chriſti *in*, *cum & ſub* pane, adeoque *Orali* illius manducationi, conceptis verbis renunciare. 4. Quamvis *commento* illi refellendo, *validioribus opus* eſſet *argumentis*, ſaltem certum eſt fractionem non ante deſiiſſe in Eccleſia, quam illud *commentum* Realitatis, ut vulgò loquuntur, cœpit obtinere; metuebant enim propugnatores iſtius ne αὐτοψία apud plebem, retentâ fractione, ſuam omnem grandiloquentiam refutaret. 5. Quin argumentum eſt ſatis validum illi commento refutando, quod petitur à fractione: idque multifariàm: Nam ſi indiſtanter corpus Chriſti eſt *in*, *cum & ſub* pane cùm panis eſt adhuc integer, neceſſe eſt aut corpus Chriſti multiplicari ad fragmentorum panis multiplicationem, aut ad unam tantum ex partibus panis fracti retrotrahi, aut unà cum ipſo pane frangi & in partes comminui; quorum neutrum concedi poſſe ſatis vident Conſubſtantiatores & Tranſſubſtantiatores; ideo malunt publicam fractionem prætermittere, quam ſe illis inexplicabilibus difficultatibus committere. Quod enim vulgus Pontificiorum adfert ſimile à ſpeculo, quod integrum, noſtrum vultum refert, & fractum in varia fruſta toties noſtrum eundem vultum repræſentat quot ejus ſunt partes, huic cauſæ plurimum obeſt; quoniam inde ſequetur panem Cœnæ non eſſe corpus Chriſti realiter & ſubſtantivè, ſed tantum intentionaliter & repræſentativè. 6. Denique cum panis Cœnæ ſit corpus Chriſti, eodem modo quo in fractione panis corpus

Chriſti

Chriſti frangitur, neceſſe eſt panem eſſe demum ſignificativè corpus Chriſti, prout ejus fractio eſt demum ſignificativa & commemorativa fractio corporis Chriſti.

OBJECT. I. *Nobis certum eſt ſequutis Scripturas & noſtros Theologos non eſſe ullam cauſam quæ neceſſariò ſuadeat hujus Cæremoniæ uſurpationem.*

Reſp. 1. Suos *Theologos* hic ſequi Celeb. virum inſtar pecudis ſequacis, facilè agnoſco, *Scripturas* nego. 2. Cauſam ſufficientem dari retinendi hujus ritus, noſtris argumentis evicimus. 3. Eum omittendi nulla cauſa, nequidem probabilis, adfertur ab adverſariis.

OBJ. II. *Si dixeris Chriſtum fregiſſe panem ut integer ille & totus panis, ſed parum craſſus, quo more Iudæorum utebatur in hac cœna, aptus redderetur diſtributioni, nihil planè dixeris quo neceſſitas hujus cæremoniæ evincatur: Cùm enim panes iſti orbiculares, quibus in ſacra Cœnæ adminiſtratione apud nos utimur, minuti ſint, nec quidquam aliud ſint quam maſſa in certas partes tributa & diviſa, adeoque diſtributioni ſatis apta, non video quæ urgeat neceſſitas ut fractionem panis in noſtris Eccleſiis uſurpemus; ſiquidem panem afferamus in diſtributionem commodam domi præparatum. Sin Myſterium quoddam quæratur in hac panis fractione, rogamus edicatur quod & quale illud ſit.*

Reſp. 1. Panes orbiculares ſunt introducti præpoſterè ad declinandam fractionem: quare ex eo quod tales adhibeantur perperam, fractio non eſt rejicienda; ſed potius illi forent removendi, quò fractioni foret locus. 2. Juxta hoc argumentum, fractio quæ fuit ipſius Chriſti & Apoſtolorum ac Miniſtrorum Cœnam diſtribuentium in veteri Eccleſia, nunc non tam piſtori quam pharmacopolæ has hoſtias partim ad Cœnam partim ad literarum obſignationem fingenti, relinquitur. 3. Jam fractum panem Euchariſticum domo adferre, eſt nimiæ & vitioſæ diligentiæ. 4. Fractio à Chriſto adhibita non fuit tantum phyſica ad diſtributio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

butionem, ſed moralis ad myſticam ſignificationem ſuæ paſſionis & mortis, ut ſufficienter hactenus fuit demonſtratum. Atque ſic hanc quoque quæſtionem abſolvimus.

HIs autem quæſtionibus additur nona à Celeb. Brochmanno quaſi inter nos & ſuos quoque controverſa, *An liceat ægrotis privatim in domibus adminiſtrare Sacram Cœnam*; Verùm cùm etiam inter noſtros variet hîc praxis, & de ea quæſtione olim ſufficienter dixerimus in *Deciſione Academica Quæſt. aliquot Theol. q. 3.* actum agere nolumus. Saltem ex ſuperioribus liquet quam nullam juſtam cauſam nobiſcum tam impotenter & vehementer rixandi habeant Theologi illi qui ſe Lutheranos volunt appellari, qui fortè dum aliter loquuntur, ut affectibus ſuis ſerviant & placeant popello, in ipſa re idem ſentiunt nobiſcum; Nec crediderim eos bonâ fide credere illam quam nec intelligunt ut fatentur, nec adeò valent propugnare, præſentiam indiſtantem corporis Chriſti *in, cum & ſub* pane & oralem illius manducationem ab indignis, quorum ſolorum cauſam agunt, in tota hac Controverſia, cùm ad dignorum ſalutem nec ſufficiat, nec proficiat: ſiquidem tantopere meritò deteſtantur Euchariſtiæ adorationem Pontificiam, quæ tamen vix poſſet recuſari illâ poſitâ ſubſtantiali & ſingulari unione Chriſti cum pane, (haud ei abſimili quæ λόγῳ intercedit cum carne:) quam perperam defendunt. Sed manum de tabula. Hæc enim arbitramur ſufficere elucidandæ Veritati, cui uni in tota hac Diatriba litavimus; Deum Veritatis & Pacis interim venerati, ut Concordiæ ac Tolerantiæ Chriſtianæ conſilia ſuggerat utrique parti diſſidentium Proteſtantium, quo arma infeſta quibus ſe mutuo petunt, in communes hoſtes convertant, & debellandæ Impietati ac Idololatriæ, ſociis animis, inſiſtant, donec ex Eccleſia Militante in Triumphantem aſſumantur per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cui ſit laus, honos & gloria in ſæcula ſæculorum, AMEN.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

PRÆSTANTISSIMO

D. RESPONDENTI

ANAGRAMMA ACROSTI-CHIDI INCLUSUM.

MATTIAS ELSNERVS

Per Anagr.

1. *Arte Mentis Salus.*
2. *Laus Mentis Artes.*

MUlta *Salus* doctâ deſcendit *Mentis* ab Art E
Quam decorare ſolet *laude* coruſcus honor.
A rtibus in Sanctis qui non peregrinus & exu L
Eſt, referet ſtudij grata brabéa ſui:
T alem Pierios jam cernimus inter Alumno S
ELSNERVM, & Muſis Caſtra dicata ſequi.
T ractat enim Verbi patefactum nobile lume N
Quod tulit æterni Splendor Amorq; Patris.
H oc ſplendente *Sacræ* convivia myſtica *Menſa* E
Qualia ſint? *Claro Præſide* noſſe docet:
I nvigilans, ne quis Lethæâ devius erro R
Inficiat fidei Dogmata ſana, Lue.
A pprecor ergo pium certamen ut auſpice Jeſ U
Perficiat, dubias ſolvat & arte plicas!
S ic Sacra Cæleſtis pandens oracula Regi S
Auferet optatas inde laboris opes.

In perpetui amoris teſſeram accinit

B. CASSIUS A. Bohemus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
443 E 42